FASTI SENENSES, AB ACADEMIA INTRONATORUM EDITI

Accademia degli Intronati,
Giovanni Battista Ferrari, ...

5106

Fasti Senenses ab Academia Intronatorum editi. fol., carta grande con antica leg. in pelle rossa.


FASTI SENENSES,

AB

ACADEMIA INTRONATORVM

EDITI.

m DCCXII.



Eq. Raphael Vannius delin. Guillel. Valet Parisinus sculp. Romæ

ALEXANDRO SEPTIMO, PONT. OPT. MAX.

INTRONATORVM ACADEMIA FELICITATEM.

DEcus & claritudo, quæ noſtræ Civitati, BEATISSIME PATER, ex Tua ſumma Dignitate, ſummiſque & immortalibus beneficiis acceſſit, incredibili quodam erga communem Patriam ſtudio nos inflammavit, curamque non levem injecit experiundi ecquid eſſet in conſiliis ac viribus noſtris, quod ad ejus ornamentum atque ſplendorem unà tecum conferre poſſemus. Vt quibus perſuaſum eſt non minus Te ad imitandum in iſto ſupremo rerum humanarum faſtigio, quam ad colendum & venerandum ſubjectis tibi gentibus eſſe propoſitum. Verum

cum obſcuros omnes noſtros conatus in tanta rerum à Te geſtarum luce futuros appareret, fecimus quod ingenio ſuo diffidentes Poëtæ ſolent: ad cœlum reſpeximus, indeque evocata majorum noſtrorum præclara ſanctitate nomina quaſi machinam in ſcenam induximus, qua una ratione potuerant eximiæ Tuæ in Patriam charitati digni ſocii atque conſortes adjungi: Horum namque res geſtas, vitamque, & mores in breve expeditumque volumen conjecimus, quod plauſibili FASTORVM SENENSIVM titulo inſignitum luci nunc publicæ committimus, ut dum Tu, BEATISSIME PATER, res omni memoria clariſſimas gerendo immortalem ad gloriam niteris, remque omnium gentium egregie procurando peculiari civitatis Tuæ hiſtoriæ maxime conſulis, ipſa ſibi, ſuæque laudi civitas ne deſit, ſed accerſita ex vetere annalium ſuorum theſauro omni ſua ſpecie ac dignitate, in unum quodammodo ſe colligat, eoque pulchrior & ornatior ingentibus Tuis de ſeſe promeritis occurrat, Tuque eam non magis charitate complexus eſſe, quam probaſſe judicio videare. Atqui, BEATISSIME PATER, non injucundum Tibi labo-

laborem hunc noſtrum etiam ſua ſponte futurum ſperamus, ſi remiſſam à curis gravioribus cogitationem in amœniſſimos antiquitatum noſtrarum ſeceſſus interdum inferes, ibique pauliſper inter priſcos illos Heroas populares Tuos verſari dignabere, fructum operæ Tuæ longe pulcherrimum capturus, quod expreſſas in illis tuarum ingentium virtutum imagines per otium noſcitabis; in alio ſiquidem religionis ardorem ſuſpicies, in alio effuſam erga Deum & homines charitatem: alium à modeſtia & laudato ſui deſpectu, alium à conſilii gravitate atque conſtantia, pleroſque à precandi ſtudio, & pia in corpus ſeveritate cenſebis. Qua virtutis multiplici ſpecie, non ſecus ac florum varietate capiuntur oculi, animum oblectare continget. Accedit ad libri commendationem quod (ut olim de Cæſaribus Ovidius cecinit)

Invenies iſthic & feſta domeſtica vobis.

Eximia inquam majorum Tuorum decora, quæ per hoſce ſparſa Faſtos vetuſtiſſima familiæ Tuæ nobilitas amplectitur, præſertim gentiles Tuos IOANNEM & AVRELIVM, qui Tibi ad ſanctitatem iſtam non magis in Tuo nomine quam in factis & moribus

ribus

ribus explendescentem duces & præcursores fuere, insigni inter mortales documento quantum ad virtutem capessendam momenti in indole generis, & præclaris majorum exemplis positum sit. Habes causas, BEATISSIME PATER, quibus adducti Tuum potissimum nobis adscivimus patrocinium, cujus ad umbram longe splendidissimam cum hac triumphali pompa nostrorum, Tuorum, & Cœli Civium in publicum prodiremus; quæ plurimæ gravissimæque cum sint, non defuturam obsequio nostro benignitatem Tuam jure confidimus, Teque facile passurum, ut opus hoc nostrum (qualecumque est) faustissima Tui nominis luce præfulgeat, ejusque gratia commendatum per ora atque judicia universæ posteritatis incedat. Vivat quamdiutissime Sanctitas Vestra, eaque & omni cætera felicitate effusis in id gentis Christianæ votis precibusque respondeat.

LECTO-

LECTORI
INTRONATORUM
ACADEMIA.

IN hujus libelli vestibulo paucis amice Lector sine te compellari. Habes opus aliquorum ex nostro cœtu industria & labore perfectum; inter quos nonnemo est, quem de hodierna Latinæ linguæ elegantia egregie meritum editæ in vulgus pulcherrimæ lucubrationes, & summo cum plausu à litteratis exceptæ declarant. Hi selecta pietatis exempla à nostræ Civitatis hominibus edita, in epitomam retulere non illam quidem brevissimam, sed quæ paulo liberaliorem verborum sententiarumque supellectilem præferre videtur, quo modus operis nec eorum, qui plenioris historiæ cupidi sunt, non aliqua ex parte satisfaciat, & rursus delicatis ingeniis & omnem orationis laxitatem aspernantibus fastidio non sit. Haud dubium est illam maxime legentium utilitati delectationique consulere, qui brevi quasi tabella totam maximarum rerum imaginem amplectitur, eoque fieri ut iis scriptionibus, quas elogia vocitamus, arcta, & concisa dictio magnopere conveniat: quandoquidem hæc scribendi forma profecta videtur à recepto inter rerum gestarum authores more, Livioque ac Tacito & aliis passim usurpato, ut post traditos exitus clarorum virorum, qui longam sibi antea dicendi materiam præbuissent, vitam eorum, moresque, & instituta brevi, & accurata narratione percurrant, & quasi in contractæ quodammodo tabulæ spatium collecta legentium animis admoveant: quod tamen perpetuum non est, præsertim verò cum res ipsa

Lucius Flor. in proœm.

per propriam & quasi ingenitam speciem publica non versantur in luce, nec ullus Floro Livius prait. Siquidem nobiliora quadam, laudique & fama suis authoribus futura, in obscuro si sunt, impune prateriri non possunt; & nisi pluribus enarrentur verbis, mutilâ & abruptâ oratione irritaveris verius legentium cupiditatem quàm expleveris. Sed omni difficultati facile occurrit prastantissimi Philosophorum, nec loquendi minus, quam intelligendi consultissimi sententia, ubi sic habet: Oportet cum res notæ sunt, in memoriam eas breviter reducere, veluti si Achillem laudes, cujus res gestas omnes perceperunt. Verum si Critiam laudaturus sis, cum non multi res ejus teneant, narrare necesse est. *Celebrioribus itaque hujus operis historiis florida & eleganti brevitate perstrictis, cum pleraque caterarum eruenda quodammodo fuerint è tenebris, (quas majorum negligentia, & super vetustatis injurias, domestica, externaque nostra Civitatis turba rerum gestarum monumentis obduxere) uberiore latioreque in iis exequendis orationis genere agendum existimavimus. Nec solum ex urbe, sed ex agro etiam, oppidisque & civitatibus Senensi ditioni subjectis prastantiores quosque sanctimonia viros, aut quorum pietatis memorabile aliquod facinus exstat, hic inserendum censuimus; si enim honesti actus etiam ab infimis editi ne memoria intercidant digni veteribus Ethnicis visi sunt, quanto id dignius est in laudis famaque consortium asciscere illustres populos Vrbi principi liberaliter obsequentes, & quasi à suo capite pietatis in se spiritus derivari gaudentes?*

Arist. 3. Rhet. 6.

Valer. Max. lib. 5. c. 2.

Quod attinet ad rerum veritatem; quia non nova dicuntur, sed tradita antea repetuntur, omnem fidei curam nostris auctoribus relinquimus, quos singulis capitibus adjiciendos curavimus. in ipso tamen narrationis decursu interdum ubi res poscere videbitur, ab eorum sententia

Valer. Max. lib. 1. c. 9.

etiam

etiam recedemus. Nulla ſane contradicendi libidine, ſed unius veritatis ſtudio, in qua conſtituenda felicior nonnunquam recentioris ætatis induſtria eſt.

Cæterum cave exiſtimes omnes Senenſis memoriæ ſinus à nobis ſic excuſſos eſſe, ut nihil reliquum præterea ſit, quod ſanctimoniæ laude cenſeri queat, pietatemque & induſtriam aliorum ſcriptorum exercere; cum plures alii ſolemni etiam Beatitatis vocabulo à fidelium veneratione perculti, quorum virtutis monumenta non adeo in promptu habentur, noſtram diligentiam effugiſſe credendi ſint, qui tamen evolutis iterum ac ſæpius venerandæ Antiquitatis ruderibus, facile exiſtent, Faſtiſque Senenſibus pretioſo additamento cumulandis accedent.

INDEX NOMINVM.

A.

B.

Camiola,

I N D E X.

C.

D.

F.

G.

H.

I.

EX MARTYROLOGIO ROMANO.

I. DECEMBRIS.

Sancti Ansani Martyris, qui sub Diocletiano Imperatore Romæ Christum confessus, & in carcerem trusus, deinde Senas in Tuscia perductus, ibidem capitis obtruncatione Martyrii cursum perfecit.

III. DECEMBRIS.

Senis in Tuscia S. Galgani Eremitæ.

XX. MARTII.

Senis in Tuscia B. Ambrosii, Senensis, Ordinis Prædicatorum, sanctitate, prædicatione, & miraculis clari.

XXIX. APRILIS.

Romæ S. Catharinæ Virginis Senensis, Ordinis S. Dominici, vita, & miraculis claræ.

XX. MAJI.

Aquilæ in Vestinis S. Bernardini Senensis, Ordinis Minorum, qui verbo, & exemplo Italiam illustravit.

XXV. MAJI.

Salerni depositio B. Gregorii Papæ Septimi, Ecclesiasticæ libertatis propugnatoris, ac defensoris acerrimi.

XXXI. IVLII.

Senis in Tuscia natalis B. Ioannis Columbini Institutoris Ordinis Iesuatorum, sanctitate ac miraculis clari.

Beatorum titulum cæteris illis, quibus ascribimus, jamdudum tribuit antiquior veneratio Præsulum, Religiosorum Ordinum, aut populorum, non verò Romanæ Apostolicæ Sedis declaratio.

Cum

Cum Sanctissimus D. N. Urbanus Papa VIII die 13 Martii anno 1625 in Sacra Congregatione S. R. & Universalis Inquisitionis decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5 Iunii anno 1634, quo inhibuit, imprimi libros hominum qui sanctitate, seu Martyrii famâ celebres, è vitâ migraverunt, gesta, miracula, vel revelationes, sive quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarii; & quæ hactenus sine eâ impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5 Iunii 1631, ita explicaverit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, bene tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quod iis nulla adsit authoritas ab Ecclesiâ Romanâ, sed fides tantùm sit penes Authorem: Huic Decreto, ejusque confirmationi, & declarationi observantiâ, & reverentiâ quâ par est insistendo, profitemur nos, haud alio sensu quicquid referimus in Elogiis illorum, quos Sancta Romana Ecclesia in Sanctorum, aut Beatorum numerum non retulit, accipere, aut accipi ab ullo velle, quam quo ea solent, quæ humana dumtaxat authoritas, non autem divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

FASTI

FASTI SENENSES.

DECEMBER.

S. ANSANVS ANICIVS, Martyr & Senensium Baptista.

I. Decembris.

SOlemnes quotannis renascentis anni natales cæteris revehit Ianuarius, at Senensibus Decembres Kalendæ mihi videntur annum inchoare anticipatione menstruâ lætitiæ. Hanc siquidem diem sole clarior maturæ floridâ in ætate virtutis ANSANVS annuâ memoriâ illustrat: cujus beneficio singulari lustralem inter Baptismi pluviam salubre Senarum Vrbi Fidei jubar affulsit. Quin etiam (quæ ab antiquis usque deducta temporibus inveteravit opinio) ablutam, expiatamque ab simulacrorum cultu Civitatem in Deiparæ patrocinium idem ANSANVS asseruit: ut exindè sperare possit propitio sub virginali signo mansuram cum æternâ viriditate vetustatem. Superstitiosa olim Roma Senas Coloniam deduxit, Romulo, Remoque transmisso Duce cum altrice lupa, quæ Senensibus civibus irreligiosæ lac religionis immulsit. Debuit eadem Roma Christianis postmodum initiata sacris Romulum meliorem allegare. Hoc vetustissimæ nobilitatis, & inclytæ virtutis lautè præstitit adolescens ex Anicio genere ANSANVS, dum Senas Christiano ritu ablutas coloniam fecit divinitus Romanam. Id enimvero iracunde tulerunt Diocletianus, &

Maximianus Imperatores : noctuinos nimirum oculos, animosque perstrinxit fulgor beneficæ sanctitatis. Quare Lysiam Proconsulem egregiâ scilicet cum provinciâ Senas mittunt, ut vel invitum Iovis, Herculisque cultum ab adolescente ANSANO minitabundus extorqueat. Sed frustra est. Quid enim sanæ mentis caput Deos coleret, quorum fictilis, & fictitia Divinitas, suoque minor figulo, divinos deberi potius eidem honores ostenderet, qui Deos faceret? Contemptum furibundi Proconsulis imperium sedulo expiantis aquæ ministro exitiales flammas decernit : & excandescens furor piæ constantiæ incendium accendit. Igitur in ignem conjicitur, qui statim restinguitur. Salutarium videlicet potens aquarum, adolescens facile faces, quamvis à plumbo, pice, resinâ efficacissimi ardoris, tamen corporeas extinxit, dum iisdem aquis incorporales obrueret noxas, animosque ipsos abluerat. Denique virgis cæsus capitis damnatur illustre cum genere tum sanctimoniâ, & absolutum vel ab innoxiis ignibus caput. Dum ad supplicium raptus ante Proconsulis ædes in Castroveteri pertransiret, Idolum ibi summâ superstitione cultum toto cum ædificio præcipitanter corruit, ut colendo mox Martyri sede perperam occupatâ cederet. Sic ille vel extinctus dilectam Vrbem iterum perluit, & corrivato innocenti Sanguine docile Senarum solum fœcundat ad sanctitatem. Itaque mirari non est geminata ex irrigatione huic eam Vrbi conciliatam esse fœcunditatem, quæ cœlum Divis impleverit, & pietate inclyta Hetrusca hæc Romæ colonia jam non se capiens, innumerabiles in astra Colonos transmiserit. Vtinam tui munere patrocinii ANSANE Cœlestium civium ferax in omnem ætatem Senensis perennet annona.

Ex Petro de Natalibus in Cathalogo Sanctorum lib. 1. cap. 14 Sylvano Razzio in Vit. SS. Hetrusc. Ioannes Baptista Goro in vita ipsius S. Ansani, Historiis Senarum Ioannis Bisdomini, Iugurthæ Tomasii, & Orlandi Malavoltæ.

A. Fertur

A. Fertur una ex cruentis virgis super solariam urbis portam à satellite forte projecta, miras ibi radices figens in perennem oleam viruisse: ut liqueret, suppliciis in coronam transeuntibus, Oleaginam illi deberi, qui sanctioris pacis fœdere Senenses Superis conciliasset.

B. Caput ANSANO obtruncatum est quarto ab Vrbe lapide ad Arabiam fluvium anno 303. Vbi cum diu miraculis coruscasset, anno 1107, 6 Februarii sacrum cadaver Senas triumphali pompâ translatum, in Æde principe conditum fuit, simul cum corporibus SS. Crescentii, Savini, & Victoris; qui omnes in Patronos electi sunt.

Quatuor Senarum tutelares Divi.

S. GALGANVS

EREMITA.

III. *Decembris.*

EVenêre. Præmaturè præter morem fertilis December à Kalendis tertiâ Nonarum die germinavit, & præcoci, juvenilique GALGANVS sanctitate vernavit. Natus est Clusdini, Senarum in Oppido, GALGANVS è parentibus pietate, opibusque loci ejus primariis, adeoque Senensi Civitate donatis: Sed hisce animi, fortunæque bonis (quia nihil est ab omni parte beatum) hæres deerat, nempè cumulus felicitatis. Et hunc tandem parentes infœcundi ab cœlitum Principe Michaële impetrarunt. Vt oriundum è cœlo dicere possimus: & origo cœlestis omen futuræ fuerit probitatis. Et quamquam primo æstu adolescentiæ in omnium devia scelerum abreptus à recto domesticæ institutionis tramite perdiu exorbitavit, cœlo tamen revocante, regiam sic rediit in virtutis viam. Eques aliquando animo incitatior, quam equo, Civitellam ad nuptialis thalami delitias ferebatur, cum repentino Michaël oppositu GALGANO primùm inaspectus, equum territat, sistitque refractarium, & calcaribus obluctantem, planeque saxeum fustuario, sessor desiliens, & à contumaci morâ furens, prompto confodere gladio parabat: cum idem clarâ, suaque in luce aspectabilis Michaël imminens vul-

nus reprehendit, jubetque juvenem in montem proximum ſecedere, cui nomen à ſepibus, ut quod admiſerat urbana frequentia, ſylveſtris illic expiet ſolitudo. Paret ille, cœlitem ductorem ſecutus: utque felicem urbium exulem, ſylvarumque civem ſe probet, molli amiculo depoſito, ſylvaticis primum frondibus, tum rudibus utcumque pellibus amicitur; tranſmiſſo videlicet vel à primis uſque parentibus hæreditario nuditatis, & pudoris integumento. In ejus montis aſpreto Crucis aſſecla, Crucem, quam adoraret, non habebat, nec arboreis eam è ramis per invidam mali Dæmonis petulantiam decuſſare licebat. Quare gladium ipſum edito in ſcopulo, conſilio diuinitus immiſſo, eventuque ſane mirabili facilè defigit, capulum ad Crucis imaginem decuſſatum veneraturus. Credibile eſt, ſaxeam voluiſſe duritiem teneреſcere, ut inter ſaxa inſitum ferrum felicis arboris æmulum in ſalutis ſignum egerminaret. Quidni autem lapides enſe diffinderet, qui prædurum, & præferocem animum inermi, ac ſeminudo corpore perfregerit? Sed ecce quatuor annoſæ cerri, quæ fortè adnatæ ſaxum penetrabili gladio fiſſile, coronabant, proclinatis, conſertiſque cacuminibus, viride cœlum conformantibus, in opacam, ac benè materiatam cellulam, opifice miraculo concamerantur. Par cubiculo cubile, quippe rudi, duroque ſtratum è lapide, ne Crucis dilector molliùs cubaret, quàm ipſa depacta crux aſſurgeret. Quamquam breves cubabat in ſomnos, cujus in cubiculo inocciduus Crucis fulgor dies faciebat inſomnes. Cibus illi ſimplex, & exiguus, poma ſylvæ cadiva, & aqua fontana vel fluvialis: ut in hoc etiam recenti veteris Paradiſi victum uſurparet. Neque ſuus huic Paradiſo calidiſſimus defuit ſerpens, cujus innumerabiles inſidias priſco novus Adamo cautior nepos eluſit. Vnam præ omnibus validiſſimam infregit machinam vaferrimi aggreſſoris. Excivit is Cluſdino G a l g a n i matrem, & auunculum; Civitellâ quoque cum utroque parente. Polyxenam puellam, nuper G a l g a n o deſponſam, hetruſco videlicet Adamo importunam, & malè ſuadam

dam Evam : ut in juvenem ſolitarium leni muliebris illecebræ tormento efficaciter arietaret. Domeſticorum præſentiens GALGANVS hoſtium adventum fit obviam intrepidus : & procul viſos pedibus jubet, animoque remigrare, ni ſurdo canere vellent : & à ſacro illo metanoeæ luco profanos ac delicatos abeſſe. Solitudinis ejus nativa robora, & cautes precibus non permoveri, ſuſpiriis non impelli, lacrymis non emolleſcere : ſe quoque Deo transformante, roboribus, cautibuſque ſimillimum ad illecebras obduruiſſe. Cum tamen illi confidentiùs acceſſiſſent, & flexanimam obtruſiſſent ſuadelam ; Polyxenam verticordiâ formoſitate perorare molientem gravi, divinoque ille ſic eloquio perculit, ut innuptam Chriſto denubere, ſacroque inſtituto Gynæceo, candidam Virginum familiam ducere perſuaſerit. Vſque adeo divinæ Crucis cultu incultus Orator, & horridus, aptus eſt ad ſuadendum; enſiſque reconditus in tenacem ſilicis vaginam, & mutatus in Crucem pugnaciſſimus eſt ad hoſtes triumphandos.

Gynæceum à S. Proſpero dictum Polyxena fertur Senis inſtituiſſe Monialibus Ordinis Ciſtercienſis.

Non vacat hoc loco ſcribendi compendia ſequenti cæteras inexputabilis numeri enumerare, nedum enarrare victorias, quibus ille, dum adverſus ſemet aſſiduis, & voluntariis animi, corporiſque afflictationibus pugnat, immaniſſimum generis humani hoſtem emaciatus, & propè exanimis unico, ſupremoque vitæ anno expugnavit. Nam ut breviſſimo unius anni curſu altiſſimam ſanctitatis metam contingeret, ipſe flagitioſæ conſuetudinis pudor addidit alas. Cæterum oborta opaco illo in luco lux probitatis eximiæ univerſam traxit Hetruriam tum in admirationem & venerationem ſui, tum in morborum opem mirificam plurimorum. Sed homo à ſui demiſſione in cœlum erectus, vulgares hominum plauſus præfeſtinata mortalis vitæ fuga declinare præoptavit, exoravitque à Deo. Quarè acutâ febri correptus, & voluntaria corporis vexatione, perennique vitæ aſperitate macilentus, exuccus, & ferè jam præmortuus, cœleſti voce ad laborum præmia invitante, ſole non funeſtè atrato, & refugo, ſed in ejus loci horrorem ſplendidè allapſo, &

 hono-

honorificè obvio; ætatis anno trigesimo emoriens desiit esse mortalis; & in medio annorum curriculo beatam vivere cœpit æternitatem. Cum autem bini Massæ, ac Soanæ Præsules, ut vivum inviserent, eò convenissent, invenere illius cadaver suam antè Crucem in genua de more procumbens, junctis ad pectus manibus, oculisque in cœlum supinis: ut exanime corpus animum sequi supplici gestu poscere videretur. Assurges tu quidem aliquando præcelsi animi tui comes conjunctissimus triumphali lucis purpurâ trabeatus, & cumulatæ beatitatis syrma infinitum trahens. Interim verò patrium solum tuarum sepulcro exuviarum, tuamque Senarum Civitatem chari capitis, unaque patrocinii tui pignore beabis.

Quâ de causâ, quove tempore ad Santuccii Parthenonem admirabile S. Galgani caput delatum fuerit.

Non ab re fuerit, inter discrepantia multorum hac de re monumenta fideliùs tradere, quo tempore modoque verendum GALGANI caput ad sacrarum Virginum Senense cœnobium advectum sit, cui duplex, Sanctæ Mariæ Angelorum à numine, & Santuccii à fundatrice nomen est. E celebri propè Clusdinum Cisterciensium templo Sacrosanctum pignus Senas translatum publicæ venerationi diu patuerat in ejusdem Ordinis æde, olim à Magdalenâ, nunc à Sanctis omnibus dictâ. Verum cum universa Civitas evoluto proximè sæculo, Hispanico præsidio novam arcem moliente, bellicis seditionum tumultibus perstreperet, ne, exterorum turmâ adjacens templo Cisterciensium cœnobium in stationem occupante, pretiosa pretiosissimo cum capite theca discrimen aliquod subiret, ad Santuccii Parthenonem Magnæ Matri Angelisque dicatum illam transmittere visum est. Ita ejusdem Parthenonis pervetus fidei certissimæ testatur codex, virgines illas tam nobili munere ditatas asserens decimo Kalendas Aprilis anni 1549. Ea porrò theca argentea est, auro inducta, gemmisque baccata, sesquicubitalis, octangula, & rerum à GALGANO gestarum cælatis imaginibus distincta, nulla enim honestâ morte perfuncto capiti corona illustrior, quàm qua vitæ ejus per virtutem actæ memoria decoratur. Summum caput superciliis tenus thecam supereminet: vivida

illud

illud quidem, quamquam quingentos fere post annos,& leviter etiam lentiginosa fronte subcandidum, densoque capillitio flavescens, ut omnino vivum existimes, qualem certè quotidianis beneficiis patria experiri non desinit ob celebrem sacri hujus depositi ad sedandos capitis dolores virtutem, si quis vittas ejus contactu sanctificatas in medicinam adhibeat, quas propterea pia harum Virginum liberalitas indigentibus hujusmodi auxilii fidelibus invidere non solet. Fama etiam tenet, hosce crines quotannis olim attonsos succrescere consuevisse, quali nostra etiam ætas apud Bononiam miraculo gloriata nuper est: tamquam obligatam sibi jam olim de numeratis electorum capillis fidem deque nullo ex iis perituro hac etiam ratione liberare divina veritas cumulatè voluerit. Cæterum res ab GALGANO præclarè gestas Ventura Salimbenius in ejusdem GALGANI Senensi templo excellenti picturæ figmento tanta veri cum specie, tamque efficaciter intuentium oculis admovet; ut pictoris artificio scriptoris æmula concedere cogatur industria.

Ex Sylvano Razzio in Vit. SS. Hetrusc. Iugurtha Thomasio par. 1. lib. 3. Histor. Senens. Gregorio Lombardellio in vitâ ipsius S. Galgani, Antonio Libanorio in ejusdem vitâ, Thoma de Herrerâ in Alphabeto Augustiniano literâ G. & Fastis Marianis 3. Decemb.

A. Gladium hunc ab impio quodam per invidiam in tres partes effractum, mirè postmodum GALGANVS pristinæ integritati restituit.

B. E tribus, qui GALGANI, Romam profecti, cellulam per injuriam incenderunt, è vestigio unus fulmine ictus, alter torrentis undis obrutus interiere: tertio lupus brachia discerpsit; ne tamen fera ad necem usque sæviret, pœnitentiæ lacrymis obtinuit. Quæ luctuosa supplicia eodem planè tempore Alexandro III. Pont. GALGANVS, ab Angelo certior factus, exposuit.

B. PETRVS

B. PETRVS

Pectinum Opifex, Tertii Ordinis S. Francisci.

V. *Decembris.*

PETRI, qui pectinum ab opificio vulgatum cognomen retulit, adolescentia inquies, ac tumultuosa provectiorem in ætatem sanctimonia pulcrè degenerem permaturuit. Diu ille cum uxore conjunctissimè vixit propagandæ soboli intentus, cujus à spe ut primum excidit, pari utrinque cum thori consorte proposito castitatis, parique fide & in conjugio viduum, & sequuta deinde viduitate cœlibem se præstitit, non solum intactum ab avaritiæ sordibus inter ignobiles artificii sui curas animum gessit, sed omnibus Christianarum laudum ornamentis usque ad miraculum instructum, & quando individuam virtutis comitem gloriam ut se sequeretur efficere non potuit, ne corrumperet effecit, in mediis venerantium populorum plausibus sibi ipsi vilissimus, quantoque se altiorem hominum prædicatione videbat, tanto in susceptæ semel humilitatis proposito constantior, ut cum viro sanctissimo Ambrosio Sansedonio, ne obscuram religiosæ vitæ modestiam cum oblatis Ecclesiæ Senensis infulis commutaret, auctor fuit; exemplo multò quàm adhortatione validius perorasse sit creditus. Nec minus amorem ejus, charitatemque suspicias, qua erga Deum, Deique Matrem adeo effusè flagravit, ut vel audito eorum nomine à sensibus interdum abripi se, atque abalienari sentiret, quamquam non raris cum Deipara de divinis rebus colloquiis recreari consuetus. Hinc non immeritò mirari subeat, unde homini cætera vulgari, & uni de multis tantum in animo roboris, tantumque virium, ut jugi, atque inconniventi erga divinum jubar contemplationi suffecerit, mente nunquam ad sublimia non erecta, frequenterque, ac diutissimè ope precationis inter cœlestes cœtus, divinæque præsentiæ oblectamenta versante, ut qui dicere soleret nihil sibi ad præstandam humano in pectore divinæ gratiæ perseverantiam

tiam

tiam uno precandi studio validius, aut efficacius videri. Ex iis porro quæ ad æterni Solis lucem PETRUS admirabiliter inspexit, pauca hæc accipe. Occurrentem forte Senensem civem Minum nomine ultro monuit, ne illatam jamdudum injuriam hostili sanguine expiatum (cui rei tunc potissimum dabat operam) pergeret, detectoque occultissimo consilio attonitum è vestigio ad ignoscendum induxit: Iacobo Clusino Iudicem apud Senas agenti nunciavit, gratissimam Deo accidisse non levem auri vim, quam clam arbitris in egentem erogaverat, beatamque exindè illi mortem, & Christiano homine dignam suo tempore obeundam verissimo vaticinio auguratus est. Cum nocte intempesta ad Matutinam in S. Dominici psalmodiam pergeret, substitit improviso terrore correptus, quod videret, prænobilis equitis ad ejus templi fores consepulti cadaver, recluso è tumulo à nequioribus geniis Æthiopum formâ larvatis per adactas undique prunas torreri. Tragica illa Hetruscarum rerum facies, Florentinorumque & Senensium, ac Pistoriensium calamitates, (quarum longa series gloriosi hujus viri ætatem est consequuta) sagaci præsciæ mentis acumine contigisse visus est; nec sine manifesto numine in vultu, oculisque ac sermone eminente, conferenti deinde cum rerum exitu verba posteritati denunciavit.

Christus sua præsentia beatius recreans colloquentes de divinis. Matt. 18.

Sed nulla forsitan admiratione digna futurorum scientia in ea mente, cujus oculos inusitatis homini nato spectaculis divina benignitas assiduè recreabat, quorum unum, aut alterum hic subjicere libet. Missos ad se de more à tyrocinii moderatore veluti ad sanctioris eruditionis magistrum, Franciscanos alumnos PETRUS fervida adhortatione aliquando succenderat, atque ad sacrandam unis de Divinis rebus sermonibus linguam persuaserat, ingenti promissionis illius pretio altius expenso, qua se Christus Dominus ad beandos sua præsentia, qui bini, ternive ejus in nomine collocuturi convenerint obstrinxit. Concione dimissa duo ex Tyronibus sanctimoniæ studiosiores, Minus videlicet Altimanni Vgurgerius, & Guido à Selvena, ut laudato divinitatis consortio per

Uterque Beati titulo decoratur in Martyrol. Franciscan. Minus 7. Sept. Guido 21. April.

 otium,

otium, ac diutiùs fruerentur, ſtatuerunt poſterâ die, ubi ſacris interfuiſſent, ſecretum in hortulum ſe recipere, ibique piis miſcendis ſermonibus aliquantiſper vacare. At nos quidem, inquit Minus, veriſſimi terræ filii merito humi conſidebimus: verum neſcio an ſedes tam humilis adventantem cœli Regem deceat? afferam ego proinde è ſellis cœnobii digniſſimam, eamque accuratius expolivero. Ita ſanè, ſubdit Guido, imo ut tantus hoſpes ornatius conſideat addam ego perlucidum pulvinum. Rebus ita ab innocenti ſimplicitate conſtitutis geſtientes abſcedunt. Et jam ſuſpirata poſt inſomnem noctem dies eluxerat, cum uterque ad aram operanti ſi unquam ex animo obſecuti, ſedem, ac pulvinum in amœniorem viridarii partem deferunt, iiſque ritè compoſitis hinc inde nuda ſuper humo aſſident, & ſanctiora ſerere colloquia ſtrenuè aggrediuntur. Interim PETRVS univerſa rei ſerie cœlitus deprehenſâ clandeſtinus ſpeculator adfertur: & ecce Chriſtum (adoleſcentem referebat formæ omnis, venuſtatiſque compendium) tyrones illos adeuntem intuetur, paratam ſellam gratius inſcendere, fortunatiſque ſociis renidenti vultu ſubinde blandum annuere, atque arridere. Corporeis quidem illorum oculis cœleſtis hoſpes ſe minimè ſpectabilem fecerat, cæterum animos liquidiſſimæ voluptatis nectare delibutos adeo in ſui contemplationem abripuerat, ut horarias in Odeo preces, mox ad communem menſam acceſſum, canendaque poſtmodum Divino ex officio veſpertina carmina, mortalia denique omnia, & ſe ipſos feliciter obliti hærerent. Non uno jam in loco, ac munere deſideratos tyrocinii præfectus advertens, ſollicito greſſu per cœnobium diſcurrebat, cum illum ſiſtens PETRVS de nobili eventu certiorem reddidit, evicitque, ne cenſoriâ virgâ in eos animadverteret, erga quos tam præſens, tamque prolixa Dei benignitas extitiſſet.

S. Franciſcus Aſſiſias quàm advivum Chriſtum

Iucundum hoc ſpectaculum in Franciſci ſectatoribus: illud gratiſſimum, graviſſimumque in ipſo parente optimo Franciſco ſuperi PETRO aperuere, antequam ejus Ordini nomen daret. In ædium Senis ſacrarum principe nocturnis

nocturnis precibus intentus id unum maxime Divinam clementiam exoratam volebat, ut ostenderet, quisnam, ab Apostolis, nostri Reparatoris exempla in se ipso cæteris vividius expresserit: hunc si probè nosset, in reliquæ vitæ normam sibi propositurus. Dum enixè rogat, clarissimis repente radiis æde universâ persusâ cœlestes Ephebos conspicit, è vasculis affabrè cælatis mundo quodam cinere pavimentum inspergere ad aram usque maximam, cui impositæ geminæ sedes pretiosissimæ rutilabant. Mox reseratis foribus subire templum visus est humanæ salutis Reparator cultu, habituque miserabilis, nudis pedibus, & vulnerum notis insignibus subjectum cinerem calcans, altaque calcato in solo relinquens vestigia, donec aram attingens, dextramque sedem conscendens, ad sinistram evocavit Parentem Virginem, aulicis Angelis utriusque latera splendidè stipantibus. Conspicuis jam è solio Cœli, Terræque Principibus fores subire visi nobiles illi nascentis Ecclesiæ Nutritii, Christianæque Religionis in ipsa infantia bellatricis signiferi; impressisque à Præceptore Vestigiis accuratius insistentes ad ipsum recta procedere. Atque ille Apostolos suos non sine triumphalibus superûm omnium plausibus compellare. Magna postmodum justorum multitudo succedere; horum singuli pro se quisque quam plurima poterant Christi vestigia, nemo tamen ad unum omnia relegebant, quo fiebat ut pro eventus varietate diversa quoque præconia, ac benevolentiæ testimonia cœlesti à Duce referrent. Et jam gressibus extra signatam à Reparatore semitam impressis Divina ipsa vestigia confusa ac penè obruta mœrenti, attonitoque videbantur: cùm tandem Divus Franciscus Assisias pro foribus adesse visus, lacerâ veste, nudatis pedibus, & cruentis cicatricibus spirantem Christi servatoris imaginem referens. Et primo quidem quasi animi pendens ob deperditas Divinorum gressuum notas aliquantisper subsistere, sedulâ mox alacritate progrediens, se in singulos ferè gressus inclinare, superfusumque Christi vestigiis ingratum pulverem inspiratâ ori virtute disjicere. Tandem post multum industriæ, atque laboris

expressè-rit, miro spectaculo comprobatur.

boris extricatis, relectisque omnibus summa cum alacritate ad operientem sese Dominum properare, ejusque genibus primo advolvi, mox ad amplexus, & oscula admitti, ac intra ipsum latus vulnere in cruce olim accepto patulum inusitata quadam ratione se condere. Tum admirabili scena hiantibus oculis momento subducta, haud dubium PETRO fuit, Franciscum sibi ad Apostolicæ perfectionis exemplar divinitùs attributum. Nec moram ullam obsequendi cœlesti imperio fecit, tertio, quem vocant, ejus instituti Ordini reliquos vitæ suæ annos devovens. Illud porro templi pavimentum Divinâ inambulatione sacratum, meruit postmodum opere satis laudato Dominici Beccafurni, vulgo Mecarini, albis nigrisque marmoribus tegi in sacrarum historiarum icones tam affabrè coëuntibus, ut per cæteras basilicæ structuræ partes aspectu vagans non tam opes quam pretiosa artis miracula se nec opinam calcasse, advenarum pietas curiosa glorietur. Diceres ad lithostrotum illud animandum, novo metamorphoseos genere cælandi artem in pingentem abivisse: quippe Apellisne lineæ, an Phidiæ incisiones oculos rapiant, incertum. Quid ni autem PETRO, cui arcanorum tanti ponderis familiarem participationem Divina benignitas indulsit, suarum quoque virium miram potentiam largiretur? Aliquando properanti per noctem supplicatum ad remotiora urbis templa, geminas præire sua sponte cereas faces, templumque subeunti ultro recludi fores obvii fortè civitatis vigiles notavere. Morbis etiam lethalibus, vel nutus illius præsentissimo remedio erat, quin ipsa vestium frusta, criniumque reliquiæ eo vel ignaro in remedium efficacissimum laborantibus admotæ. Quin etiam extinctum puerum, parentum lacrymis, precibusque commotus vitæ restituit. Quod dicturus sum amœnissimæ simplicitatis imo ludentis in orbe terrarum divinæ sapientiæ cum filiis hominum exemplum est. Domum è vindemia regressus, dum duracinas ac pensiles uvas certâ loci opportunitate distribuit, in animum fortè revocat amicum Romam profectum, cujus filium de sacro fonte susce-

susceperat, quam vellem, secum ait, IESV meo Matrique dulcissimæ placeret, ut meus Compater selectis hisce uvis recrearetur. Nec secus ac vir Dei optaverat factum est. Speciem humanam è melioribus Geniis aliquis assumens uvas illas munus Romam ad amicum detulit; ut liquido patuit ex gratiis ab eodem postmodum actis PETRO, qui optatæ magis, quam speratæ rei novitate perculsus confestim locum adivit servandis ejusmodi fructibus destinatum, neque uvas è perticis ultra pendulas reperit. Aut has igitur uvas, aut alias nullas ambrosiacas dixeris, quibus immortalitatis dignitatem mirabile cœlestis dexteræ beneficium facilè conciliavit, & ut verè cœlestis cibus dici posset, effecit. Dum vero tot tantisque donis extollebatur, mirum quantum malorum suorum se cognitione deprimebat. Quamobrem eos ipsos oculos Divinis spectaculis assuetos eliquebat in fletus, quoties in mentem veteres noxæ recurrerent: Donec omnem hujus doloris apparatum in lætitiæ lacrymis vertere divino amori visum est; nam labes à primâ pueritiâ omnes de scripto recensitas amarius aliquando deploraturus, in eremum secessit Senis proximam, à S. Francisci baculo repente in arborem converso percelebrem. Vt pervenit, suspiriis, gemitibusque subortis crimina relegere dum parat, ecce tibi expunctos characteres ad unum omnes animadvertit. Atque ita denique in pagina pristino candori penitus restitutâ reparatam suæ animæ innocentiam facile perlegit. Vel sic nihilominus sibi timens, in singulos dies conscientiâ quam diligentissime excussâ ad sacerdotis pedes se reum agens, quotidianum salutaris pœnitentiæ pensum à se ipso severissimè exigebat. Quid plura? ad linguæ unius intemperantiam cohibendam quatuordecim ipsos annos sollicito, præpavidoque studio se impendisse, testatus est. Adeo verum est, citius feram edomari, quam linguam. Ex intimâ sane animi demissione nihil virtuti suæ se dare PETRVS ostendit, dum procacibus juvenibus interrogantibus, ecquid à libidine temperaturus esset, si intra cubiculum cum liberali forma muliere concluderetur,

Plin. lib. 14. cap. 3.

Epist. S. Iacobi Apost. c. 5.

respondit illico, quid agere deberem scio; quid agerem nescio: hoc unum sanctè profiteor, nihilo majore mihi ad flagitium incitamento solitudinem futuram, quam si mortales, cœlitesque universos dictorum, factorumque meorum testes assiduos, atque arbitros haberem. Acerrimus itaque sui censor, & in subigendo corporis quasi contumaci mancipio immitis tortor, religiosâ vitâ universâ in cumulatissimæ integritatis hostiam Deo dicatâ, ad mortem prolusit, metus illam quidem expertem, ac planè beatam. Atque adeo supremum decumbens, amico monenti, ut se novissimum ad casum, cui jam erat admotus, constanter obeundum accingeret, væ mihi, respondit, si dilata in hoc tempus bene moriendi cogitatione salutis meæ negotium implicatum, turbidumque ac exitu incertum reddidissem. Placido itaque & nullis interpellato curis gravioribus fine defunctus est, quod ipsum inusitata quædam species hilaritatis, quæ in vultu morientis continuo eminuit, manifeste portendit. Hic exitus viri sanctissimi fuit, qui cum suæ artis opera ad abigendas corporum sordes comparata videret, non commisit, ut minus efficax ingenium suum videri posset ad comparanda virtutum instrumenta, quorum ope pexa, ac diligenter attonsa ab omni rerum caducarum superfluitate interior animæ facies, Deoque & hominibus appareret. Sane Dantis Aligherii cithara, laudis alioquin erga gentem Senensem usque ad crimen malignitatis parca, silentium de tanti viri præconiis imperare sibi non valuit, quin in hos versiculos erumperet:

Obiit 5. Decembris 1289 anno autem 1328 Senatus Senensis decrevit, ut ad Beati viri festivitatem solemnius celebrandam Magistratus urbis quotannis accederent ad illius sepulchrum in æde S. Francisci.

* *Pace volli con Dio in sù lo stremo*
De la mia vita; & anchor non sarebbe
Lo mio dover per penitentia scemo:
Se ciò non fusse, ch' à memoria m' hebbe
PIER PETTINAIO *in sue sante orationi,*
A cui di me per caritate increbbe

** Dant. Purgator. cant. 13.*

Quod quidem tam honorificum in Senensem hominem ejus poëtæ judicium, quia forte Christophoro Landino, & Alexandro Vellutello carminum ejus commentatoribus non ita credibile visum est, Florentinum Eremitam PETRUM,

PETRUM, dixere: qui tamen ſeptimo à Senis lapide natus ad pagum Campium ab antiquiſſimis uſque temporibus Senenſi ditione contentum, à tenerioribus annis Senas ipſas incoluit publicus opifex. Quod quidem ſi monumentis longe clariſſimis teſtatum non haberemus, & aliquis dubitationi locus eſſe poſſet; nobilius multo, juſtiusque inde certamen inter duas haſce principes Hetruriæ civitates oriri poſſet, quam quo olim de Homeri natalibus inter ſe flagravere:

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ.

Ex vita conſcripta à Petro de Monterone Ord. Minor. & ex Latino in Italicum verſâ à Seraphino Eremitâ Auguſtiniano an. 1508, *editâ deinde Senis an.* 1529, *Chronic. Minor. auctore Marco Vlyſippon. par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 8, 9, 10 & 11. *Sylvano Razzio in vit. SS. Hetruſcor.*

NICOLAVS FORTIGVERRA,

Ord. Prædicatorum, Epiſcopus Aleriæ.

VI. *Decembris.*

EX eo Fortiguerrarum genere natus eſt NICOLAUS, qui ob eximiam nobilitatem, & amplificatos regia liberalitate Cathedralis Eccleſiæ fructus Vicedomini, Patronique Senenſis Epiſcopatus merito audiunt. Sed illi neque vetuſtas majorum imagines, neque proprium Equitis, & Palatini Comitis decus, opesque, & commoda ſtirpis claritudini reſpondentia tanti fuere, ut Chriſtianæ humilitati non poſthabenda putaret. Erogato ad Euangelicæ perfectionis præſcriptum omni in egenos patrimonio, S.Dominici inſtitutum amplexus, à cujus etiam tunc maxime inter homines agentis manu Religioſi habitus inſignia recipere dignus eſt habitus:& ne vocabulo tenus in Prædicatorum Ordinem adſcitus videretur, ingenio ſtatim ad exercendam divinis in rebus facundiam admoto, ſumme præſtitit in permoven-

dis

dis ad frugem flagitiosorum animis, ipsisque Iudæorum cordibus ab obstinato suæ impietatis proposito deterrendis. Miro quippe quodam illapsu, & impetu suaviter ineluctabili, eloquentiæ flumen, quod ex ejus ore tanquam è beato fonte manabat, undas salutari venâ pretiosas audientium mentibus invehebat; cooperante non raro, & sermonibus ejus validissimos addente nervos Domino per signa, atque prodigia, quæ dicentem subinde sequebantur; cum & cœci quamplurimi jucundissima lucis usura, & surdi necessario aurium beneficio, varioque alio morborum genere vexati optatæ valetudinis gaudiis; ad hæc naufragantes, aliisque vitæ hujus periculis exerciti subitâ incolumitate donarentur. Quibus celebri famâ vulgatis non modo secundis Dominicanæ Familiæ suffragiis in Italia, Græcia, ac Palæstina multorum cœnobiorum regimini est admotus, sed & Innocentius IV Romanus Pontifex propagando per Sardiniam, Corsicamque sui Ordinis instituto intentum Episcopatu Aleriæ decorandum putavit. Quo nuncio concussam vehementer vir egregius suam modestiam intelligens in abditissimam continuo speluncam se contulit; opportunius suis rationibus ferarum contubernium, quam vitæ in excelso agendæ splendorem existimans: sed obluctantem divinæ voluntati perseverare in eo proposito passa non est cognominis ejus S. Nicolai Myrensis Episcopi vox, quam à S. Præsule manifesto ad oculos suos lumine accidente audisse dicitur, sese ad eam provinciam sine mora suscipiendam cœlesti imperio adhortantem. Tanto igitur auspice initum munus per omnes religiosissimi Præsulis partes sustinuit. Acerrimum primo quidem se præstitit Ecclesiastici juris propugnatorem, ac vindicem; & amarissimis quamquam injuriis lacessitus, in eodem animi habitu semper impavidus constitit. In suæ urbis pauperes intentissimâ curâ sollicitus, eorum omnium nomina referenda in ephemeridem jusserat, ut quotidie singulorum miseriæ remediis opportunis occurreret. Proprias ædes in peregrinantium hospitium adhibuit, quorum pedes suis ipse manibus abluere consueverat.

verat. Duobus tantum famulis interim contentus paupertatis incommoda è populo in ſe transferre gaudebat, patientiæ, atque auſteritatis rarum exemplar. Quid inde mirum ſi vir ſuperûm, mortaliumque amor ac delitiæ, tanto inferis terrori eſſet, ut admoto pedo ex obſeſſis corporibus atros paſſim hoſpites pelleret, & plane lupos baculo ab ovibus validus Paſtor abigeret? Sed ecce tibi dum nonagenarius frequentiſſimæ panegyri novos ad pietatem ſtimulos ingerit, Divino repente ſpiritu percitus manifeſte prædicit, imminere ſibi, quem diu ſuſpiraverat, ad cœleſtem patriam tranſitum, ipſo videlicet Patroni ſui Nicolai Natali die obeundum. Compoſito itaque pridie ſepulchro ubi condictа illuxit dies, venerabile Miſſæ Sacrificium in ejuſdem S. Epiſcopi honorem operatus, inter amantiſſimas lachrymas populi expeditum ad ſuperos iter ſuo Parenti apprecantis, placidiſſimo fine defunctus eſt. Sed nobiliſſimæ hujus familiæ claritudo nequaquam ſeſe unius civitatis, aut unius ſæculi anguſtiis concludi paſſa eſt; Habuit enim Piſtorium inſignis inter alias Hetruriæ civitas ſuum quoque Nicolaum Forteguerram Theanenſem Antiſtitem, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem togæ pariter, ſagique ornamentis, quantum homini ſacerdoti, & Epiſcopo fas eſt, clariſſimum virum, *cujus* (ut verbis utar loquentis de eo Cardinalis Papienſis) *vita omnis labor fuit, & veritas, & ſalutare ſemper conſilium. Item opera omni laude digna*: Quo elogio eum Pius II. Romanus Pontifex dignatus eſt. Ejus ſiquidem unius virtuti contumax ille adverſus omnem humanam, divinamque majeſtatem Sigiſmundi Malateſtæ animus ceſſiſſe viſus eſt, cum ad publice ejurandas pernicioſas de Deo, rebusque divinis perſuaſiones, implorandamque ſuppliciter ab Eccleſiâ veniam adactus eſt. Nec minus robuſtum, minusque vehementem Eccleſiaſticæ dignitatis vindicem, aſſertoremque diverſarum Pontificiæ ditionis Civitatum tyranni ſenſere, quorum ille jugum à cervice immerentium populorum depellendum non ſine felici pulcherrimi conatus ſucceſſu aggreſſus eſt. Ea inter dimicandum manſuetudine, ac lenitate adverſus devictas ar-

Iac. Card. Papienſ. epiſt. 541. ad Bern. Cardinal Spoletanum.

Pii II ep. ad Card. Theanenſem.

mis nationes usus, tantumque fidei atque amoris in eorum pectoribus adeptus, ut, contra vetus effatum, ex victis amicos efficeret, planeque præstaret, ut exemplo Persarum in Alexandri olim victoria non cladem suam, sed salutem agnoscentium, sese pessime perituros fuisse, nisi periissent, prædicare potuerint. Nam quid ego de egregiis pacis artibus tanti viri disputem, quibus in dicenda inter Patres sententia, cæterisque Senatoriis muneribus obeundis excelluerit, ductum rationis, prudentiæque, & justitiæ regulam in omni actione religiose sectatus? quid commemorem liberalitatem, & magnificentiam, quæ cum multis aliis in rebus eximiam sui speciem hominum in animis præbuisset, tum imprimis pulcherrimo illo erudiendæ, alendæque studiosæ litterarum juventuti ab eo collato munere, quo idoneus ei rei in singulos annos reditus est attributus? quid de disciplina domestica loquar, cujus sanctitatem inter præcipua boni Pastoris officia, Apostolorum sapientissimus recensuit? qua ille virtute maxime præstitit, non alia magis opera, industriaque, quam quod familiæ suæ ad veræ specimen virtutis vitam suam, moresque ab omni vitiorum inquinamento remotos proposuit. Hæc pauca de Cardinali Forteguerra si adjecissemus, nihil à suscepti instituti proposito alienum facturi putavimus, quandoquidem hæc omnis de egregio viro prædicatio in Senensis gloriæ cumulum tandem accidit: neque enim majoris laudis fuit tot, tantisque virtutibus excelluisse, quam eas in apertam hominum educendo lucem effecisse, ne Ecclesia, neve Respublica redituro inde ad se fructu, ac splendore careret. Quod quidem à Senensi Cive Pio II Romano Pontifice factum est, qui Forteguerram honore Purpuræ, & Senatorii honoris dignitate ornavit, non sine arcano divinæ providentiæ consilio, nexum quendam inter Principes harum duarum Vrbium Cives, interque voluntates eorum, atque ingenia moliente. Quo ductus post duo fere sæcula Alexander VII, Princeps solertissimæ in æstimandis hominum meritis sagacitatis, Iulium Rospigliosium Civem itidem Pistoriensem, post navatam ab eo

Romanæ

Romanæ Ecclesiæ in ſcribendis Pontificiis epiſtolis, gerendaque Hiſpanienſi Legatione egregiam operam: poſt Vrbis Præfecturam difficillimo interregni Pontificii tempore ſummo cum populi otio adminiſtratam, induſtriamque ſuam & fidem curandis de Chriſtianæ rei ſtatu negociis cumulatiſſime probatam, eidem ampliſſimi ordinis honori, arcanorumque omnium arbitrio admovit, nec plane ullius, ex univerſo ampliſſimo ordine, conſilio, induſtria, & fide in explicandis difficillimis quibusque Chriſtianæ rei negociis frequentius utitur.

Ex Michaële Pio in Vitis Dominicanorum Illuſtrium lib. 1. vit. 16.

B. FRANCHVS

Grottenſis, Ordinis Carmelitarum.

XI. Decembris.

QVi brutarum animantium coria ſcito labore perficiebat FRANCHVS Grottenſis, ſui poſtmodum animi corium, corpus videlicet pietati contumax ſubegit, & melius fecit injuriâ. Pigrum quoque incitavit laborioſis, diuturniſque peregrinationibus ad clariora quæque templa Hiſpaniæ, Romanæ Vrbis, ac utriusque Siculi Regni ſuſceptis, ut conquireret ubique gentium veniam vitæ nefariis olim ſceleribus inquinatæ. Incitato tantis itineribus corpori flagrorum quoque, cæterorumque vexantium ſtimulorum admovit calcaria, ne arduo in curſu interquieſceret. Iam grandis natu divinitus imperatam ſecedit in ſolitudinem, ut etiam à ſe ipſo diſcederet. Denique Deiparæ juſſu Carmelitanus veſtem in cœli officinâ concinnatam, & à cœleſti juvene ſub ipſis Senenſium omnium Carmelitarum oculis delatam induit. Quid ni enim terrenis à rebus omnino nudus, nec indumentis, ſed cruciamentis coopertus cœlo ſarcinatore conveſtiretur? Viſuntur adhuc, & coluntur inter cætera victricis tolerantiæ voluntaria ſuppli-

A

cia, lorica grandibus hamis conserta, quæ nudum pectus lancinaret: ferreis è circulis decussata galea, quæ caput excruciaret: ingens prælongæ catenæ fragmentum, quæ corpus rationi captivum constringeret: & globus plumbeus pondo circiter selibræ, qui stateram

B. æquipondio verbis faceret. Ita qui secum ipse pugnat, esse debet semper armatus, ut etiam in pace vincat, & in funere triumphet. Ecce autem III. Idus Decembris anno post Virginis partum 1291, à meridie nebulosas in exequias noctescit, & occidit occidente cum FRANCHO jam octogenario dies. Credibile nimirum est voluisse solem totâ suâ luce curuli abeuntem animum ad cœlites deferre, qui concentu mortalibus quoque auribus sonoro, edomito de corpore triumphantem exce-

C. perunt.

Ex Sylvano Razzio in vit. SS. Hetrusc. Gregorio Lombardellio in vita B. Franchi, Fermo Borgante, in ejusdem vita, & ex Annalibus Carmelitarum.

A. Redditæ animo Divinæ serenitatis visa est pignus ad S. Iacobi tumulum Compostellæ restituta ipsius oculis lux, quam per prodigiosam cœcitatem olim amiserat, cum, nullâ ultra in ludum suppetente pecuniâ, in eas diras voces furens erupit: Hos ipsos oculos, velit nolit illorum Auctor, discrimini ludorum exponam.

B. Sed & mirum quantum ad acerbissimos quosque sui corporis cruciatus FRANCHVM excitabat altius menti hærens mœstissima species, qua sese illi mundi Reparator Cruci defixus spectandum objecerat. Exinde enim, ut Divina illi Crux fuerit cordi, patuit à morte, dum carnea cruce cor amantissimi Pœnitentis obsignatum enituit. Amaras tamen Filium indolentis FRANCHI lachrymas roseâ manu tergebat interdum Virgo Mater, ad suavissimæ pulchritudinis contemplationem non animum modò, sed & corpus clientis sui abripiens intra innocentem lucis igneæ nimbum: qui cum semel supra ipsum cubiculi tectum sese late diffunderet, vicinos Carmelitarum cœnobio cives quasi ad subitum excivit incendium.

C. A funere

C. A funere mira quamplurima beneficia FRANCHVS indulgens implorantibus opem ſuam, Meum præſertim Naninium Grottenſem ab exortu cœcum lucis uſurâ donavit. Sacrum illius cadaver ſub arâ maximâ templi Carmelitarum Senenſis quieſcens, populos etiam exteros ad ſui nominis venerationem perpetuo movet.

HORATIVS DE VECCHIIS

Societatis IESV.

XIV. Decembris.

EX Mariano de Vecchiis, & Livia Lunadora ſplendide natus HORATIVS, ab ipſo ætatis flore præſtitit mitiſſimo ingenio, modeſta gravitate, moribusque peramabilem in modum compoſitis. E Syrtibus frequenti adoleſcentiæ naufragio infamibus virginitatis florem incolumem eduxit: patrocinante videlicet Virginum Virgine, quam puriſſimis in amoribus habuit. Et ipſa quidem Senarum Regina candidius iſtud lilium dono dare viſa eſt dilecto ſuo, qui nempe paſci gaudet inter lilia; dum eam clienti indidit mentem, ut Societati Ieſu nomen daret. Religioſo ordini adſcriptus tanto ſtatim perfectiſſimæ erga Deum charitatis impetu correptus eſt, ut in ipſo ſuſceptæ recèns militiæ tyrocinio, inter ſalutares cœleſtium epularum delicias illuſtrata divinitus mente, lauream præciperet, quæ morti olim ſibi pro Chriſti fide obeundæ præmium futura erat. Et quia nuſquam uberiorem eſſe, quàm apud Indos ejus laudis capeſſendæ materiam intelligebat, ubi primum poſſet eò ſe conferre propoſuit. Sex omnino annos in expeditionis hujus meditatione transegit, permiſſu ejus ſuſcipiendæ impetrando, firmando adverſus longi itineris moleſtias animo, ſeque ad perpetuum patriæ, ſuorumque deſiderium comparando. Indè profectus in Americam, ibique apud Limam, Vrbem illius tractus longe frequentiſſimam, inchoato pridem ſtudiorum curriculo conficiendo primos annos inſumpſit, deinde ex

Cantic. 2.

umbra disciplinæ in solem, ac pulverem rerum agendarum egressus, seriò provinciæ, quam susceperat, obeundæ incubuit; collecto primum per omnia Christianæ virtutis exempla bonæ existimationis instrumento, quo ad accendendum in Ethnicis fidei lumen, charitatemque in animis fidelium excitandam fortiter, & industriè usus est; non sine ingenti navatæ feliciter operæ pretio, cum super magnam populi multitudinem ad pietatem, vitæque innocentiam monitis, & consiliis institutam, quatuor amplius hominum millia ab Idolorum superstitione ad Christiana sacra suscipienda traduxerit. Et jam gestiente cœlo coronare victorem, tempus fortunatissimum appetebat, quo morum candor, integerrimique animi nives regalem cœlestis aulæ in purpuram verti deberent: supremumque illud constantiæ specimen HORATIVS daret, cui in atrocissimis laterum, & calculi cruciatibus sine ulla querimonia diutius tolerandis eximie proluserat. Sane lapidescentibus visceribus tenerrima illa, ac humanissima in cæteros egregii viri charitas admirabilior eluxit. Profectus erat unà cum Martino ab Arandâ Societatis Iesu Sacerdote, cumque Didaco à Monte Alvasio ex temporalibus quos appellant ejusdem Societatis coadjutoribus in Vallem Elicuram, frugiferam Euangelii sementem barbaro facturus in solo: Cum supervenit ducentis cum equitibus Aganamanus è primoribus ejus gentis magno quiritatu, abductas è domo sua, ut ajebat, duas mulierculas, quarum corpori assueverat, reposcens, quæ forte per eos dies hortatu HORATII, sociorumque abnegata Idolorum superstitione Christianum cultum induerant. Negant illi omnino sibi licere cuiquam in Christiana Castra semel admisso repetendæ rursus impietatis authores esse, quin potius ipsi à salutari fœminarum consilio viri sapere discerent, hortabantur. exarsit illico ultrices in furias barbarus, & nefarios satellites in cædem innocentium irritavit. Qui impetu in Christi servos continuò facto, Martinum quidem contusâ clavâ cervice, HORATIVM, ac Didacum adactis per latera lanceis humi projectos, & exanimes reliquere. Notabile fuit

Martinus ab Arandâ & Didacus à Monte Alvasio sacra expeditionis, ac strenuæ mortis Horatio socii.

erga

erga HORATIVM in barbaro percussore super crudelitatem ingrati quoque animi exemplum; Ainacilus enim, cujus manu potissimum ceciderat, in capitis judicio, quo gravissima quædam ob crimina reus paulò ante fuerat, vehementi HORATII patrocinio usus erat, ejusque præcipuè auctoritate, & gratiâ damnationem evasisse creditus est, sed non æquè debitas obliti tam insignis beneficii pœnas evadere impurissimo sicario licuit; excrescentibus enim brevi inusitato tumore lingua & faucibus ad extremam alimentorum inopiam ob interclusos gutturis meatus adactus, miserrimo omnium lethi genere, impius amicissimi sanguinis sititor extinctus est; ipse quidem sui ipsius carnifex effectus, quando alium immaniorem reperire ne posset, immanissimi facinoris ausu, patratuque effecerat. Felicium triumphatorum cadavera mediis quanquam in arenis præfervidæ insolationi, & infestis belluis, voracissimis præsertim regionis illius volucribus (condoles vocant) exposita, illibata, ac penitus integra post triduum reperta sunt à Christianis ad pretiosæ mortis nuncium admirabili studio confluentibus. Et hæc omnia communia quidem HORATIO cum duobus certaminis ejus consortibus fuere; illud ipsius proprium, quod admisso intra viscera lethali ferro, ejusque vi laceratis præcordiis, ipsoque corde, ut plerique notavere, dissecto, ab obtrudendo percussoribus salutari prædicationis pabulo non destitit, sed per horæ amplius quadrantem in susceptæ orationis tenore, excors jam, ut ita dicam, & exanimis perseveravit. Tamquam viro sanctissimo non solum cordi, ut aliis Christianæ pietatis heroibus, sed pro ipso corde Religio fuerit, quando spiritum ejus unicè spirans, & egregie cordatus vitam vel extra ipsa vitæ spatia amplificare potuerit.

Ex literis annuis Soc. Iesu, & Philippo Alegambe de mortibus illustribus Religiosorum ejusdem Societatis.

B. GENO-

B. GENOVESA

Vidua, Tertii Ordinis S. Dominici.

XXIV. Decembris.

EA est Senarum Hospitalitas, ut quos docilis ad pietatem indolis recipit domicilio, impertiat etiam sanctitate. Vincentius Genuensis genere, opibusque degeneres animos ad omnia flagitia facientibus, insignis homicidii reus patrium Senensi solo mutaverat, ac, dissimulata nobilitate, sericario textori discipulum, & operarium se adjunxerat, cujus postmodum filiam Catharinam in matrimonium accepit. Ex ea susceptam prolem GENOVESAM appellavit, & nomini patriam inseruit: ut quamvis exul, in exilio à patria non abesset, quam sibi conjunctissimam, & consanguineam effecisset. Placet hîc nascentis puellæ fortunatum infortunium cum sopito parente, dum vigilo, somniare. Viderat per quietem pater infantem filiolam, vix editam, ab immani terribilique dracone invadi: sed illam trepidam profugere, ac puellari ejulatione valentiorum mortalium auxilium implorare; se autem neque audere periclitanti filiæ opitulari, neque (ut patrem decuisset) misereri. Destitutæ à terreno auxilio pusillæ puellæ cœlum adesse, ac demittere Virginem formæ radiis præfulgentem, eandemque bellatricem, quippe rotâ, spiculoque armatam. Ab hac jussam esse, benè sperare GENOVESAM, ac lethale spiculum in venenatam belluam contortum; divinitus jugulandæ postmodum calumniæ felici præsagio. Natales habuit gloriose purpureos à cruore piè, fortiterque profuso Alexandrinæ Catharinæ septimo Kal. Decembris, cujus diei Divam nullo non die sibi colendam proposuit, utpotè beantis cœli natalitium sidus. Igitur mirum non est, quod inter virginalem purpuram nata regiam indolem, & candorem pudore purpuratum duxerit à naturâ. Exindè traditur in disciplinam monialium, quibus est nomen tertio ab Ordine Divi Dominici, præsertim verò Neræ Ptolomeæ fidei, curæque concreditur:

ditur : sub quâ magistrâ in omni muliebri laude sic profecit, ut ejus vestigiis insistens, proximos illi cœli honores obtinuerit. Iam nubilem, quia corporis, animique forma liberaliter dotaverat, multi etiam è primariâ nobilitate juvenes expetebant. Illa tamen, maritale jugum ut subiret aptius, nupsit pari, nempe Ioanni cuidam sericario textori, commodis, modestis, piisque moribus juveni. Is primùm uxorem pro illius merito, & pro sua indole in deliciis habuit : mox autem suspicax amor, metuensque rivalium, subdente præsertim faces falsi criminis accusatrice mulierculâ, exarsit in furorem, districtoque gladio in adulterum, qui nusquam erat, cassa vulnera in uxorem vibrabat. Illa rerum nescia, illa innocens, ad mariti pedes accidit, Deoque innocentiæ conscio causam suam commendat. Interim exanimatæ per quietem idem, antea genitori oblatum, visum objicitur. Cum evigilasset, vidit ad rei novitatem parentes accurrisse; Quod viderat, somnium enarrat. Parentes intelligunt, à cœlite Catharinâ filiam ab interitu, & infamia vindicatam. Nam quæ falso insimulaverat, intervenit fœmina, veniamque temeritatis implorat. Vir suæ credulitatis accusator GENOVESAM pristinâ potiorem in gratiam recipit. Sed alternante rerum vicissitudine, filia parentibus orbatur, simulque viro nupta viduatur. Nec tamen invictum dejicit animum misera solitudo. Ad cœlites confugit destituta mortalibus, & Catharinam suam appellat. Ecce autem supplicis conclave subito cœlestis Virginis lumine insolatur, ecce illa palmæ termitem prætendens sic GENOVESAM affatur: si ætatis teneræ magistram, Neram Ptolomæam reliquæ vitæ tuæ consultricem, moderatricemque adhibeas, hâc cœli palmâ donaberis. Paret illa perquàm alacriter, Neræque consilio Monialium, quas Divi Dominici tertiarias vocant, vestes ac mores induit. Tam pio nexa vinculo egregiis pietas operibus libera fræna laxavit, quibus delassatum conflictatumque corpus sæpius ægrescebat: & quâ sustinebatur operosa charitate languebat. Atque delabitur è cœlo Nera, morbosamque sanat : quia contractus

Sacris vestibus GENOVESAM *induit*

B. Ambrosius Sansedonius.

tractus ex virtute morbus cœlestem exigit medicinam. Intereà loci divinis valida viribus inferos lusit aggressores, eorumque immortales, & gravissimos cruciatus pervidit, ut præ illis leve, ac tolerabile temporarium cruciamentum videretur. Ad hæc animo à sensibus avocato futuros eventus præsentiebat, & arcanas animorum latebras citra oculorum usum lyncea clarissimè perspiciebat. Quin etiam res admirabiles in alios patravit: neque enim par erat, ut benefica virtus manum intra pallium contineret. Iam verò Neræ vaticinio fatalis, & GENOVESÆ jam quinquagenariæ mortifero gelu planè hybernus December anni 1292, appetiit. Igitur mensis ejusdem Kalendæ insanabili febre, universique corporis doloribus ægram fecêre, ac lectulo affixere, non surrecturam, nisi cum ex longo decubitu nono Kal. Ianuarii, nempè fortunato in terris Dei nascentis die, ad cœlestes delicias provolavit, socias prius ad virtutis constantiam cohortata. Factus est autem ad cadaver, Dominicanam in ædem translatum, tantus omnium ordinum civitatis concursus, ut non privatæ fœminæ, sed extinctæ publicæ felicitati crederes justa persolvi. Adeo rapaces animorum sunt ipsæ vel mortuæ virtutis exuviæ. GENOVESAM eodem die Dominicanus Aldobrandinus, qui fuit illi à confessionibus, tam luculentâ concione laudavit, ut in auditorum animis ea revixisse videretur. Consecuta deinde miracula comprobarunt, beneficam sanctitatem mortalium opportunitatibus immortaliter vivere, patriæque suæ per civem quoque adventitiam patrocinari.

Anno 1292.

B. Aldobrandinus Paparonus vitæ Sanctimoniâ ac doctrinâ percelebris.

Ex Gregorio Lombardellio in vita ipsius Beatæ GENOVESÆ.

B. NERA

B. NERA PTOLEMÆA,

Virgo Tertii Ordinis S. Dominici.

XXV. *Decembris.*

TV quoque nigri nominis, clarissimæque gloriæ candidissima NERA vivens, & moriens, jamque Ptolemæos inter cœlites præfulgens, æternam Senensibus Fastis famam reliquisti. Creditur NERÆ nomen imposuisse natalis dies, quæ Nerei fortiter pro Christo cadentis roseo, vernoque funere Majum colorat. Ab incluti Herois natalitio nomine omen habuit futuræ integritatis. Indolem quoque lætam attulit, & magnam vel ab incunabulis ad omnium ornamenta virtutum. Quare difficilis alioqui, ac morosæ educationis infantia nutrici morigerabatur, & primula ætas vocalem subinde consuevit pietatem balbutire. Deinde septennis cœpit in Sacro Divi Prosperi gynæcéo bonas fœminei cum animi, tum corporis artes perdiscere, severamque monialium disciplinam præoccupans, robustæ virtuti proludere. Hujus tum specimen egregium dedit, cum domum revocata ægræ parentis mendaci caussatione, ad invitas nuptias primùm invitatur; deinde, cum pertinaciter abnueret, furentis matris comminatione, & inhumanæ famulæ, maternis furiis servientis tractatione, atque adeò turpis cum amasio consuetudinis infamiâ malè accipitur, dum illa cœlitis juvenis alloquio frueretur. Sed factum est divinitus, ut per suavissimum odorem, admirandumque lumen NERÆ cubiculo latè diffusum, è calumniâ veritas emineret, atque ex ignominiâ gloria germinaret. Quare mortalibus abdicatis nuptiis, Divino sponso denupsit, inter Divi Dominici Moniales, quas tertii vocant Ordinis, virginalis candoris flammeo prævelata. Quis hoc numeret loco virtutum sydera, inter humilis tenebras vitæ illustriora? inprimis verò suum splendidis maculis jubar occulentem animi demissionem: sanguineâ luce coruscantem piam corporis vexationem: lacteo formæ candore suavi-

Iuvenis NERÆ *integritati diu molitus insidias, eâdem increpante permotus Dominicano Ordini nomen dedit.*

ter fulgentem castimoniam impuro amatori salutarem: æstivo demum æstuantem incendio charitatem? Quin etiam fœdum in illa ulcus in sydus rubuit, cum longâ, constantique tolerantiâ radiavit. Itaque rerum potens admirandarum (adeo ut mortuos revocasse feratur ad vitam) miram ipsa sibi facere medicinam noluit, quia divina sanitas est pro Christo fortiter ægrotare. Sed jam omnibus virtutum generibus exercendis, colendisque NERA usque à puerili origine ad tantæ amplitudinis instar emicuit, ut impar terris, & major, ad cœlum jam reposceretur. Quare natalitio Christi die cœlestibus è finibus Ambrosius Sansedonius, ejusdem civis, & familiaris, magno cum cœlitum stipante numero delapsus, ad ejus diei Vesperam feliciter migrandum immortalem in beatitatem NERÆ denuntiat. Sic ea lætissima, quo die nata est Vita, moriendo decessit ad Vitam: & annorum septem & quinquaginta annos inchoavit æternos, à devictâ morte anno vitali millesimo ducentesimo octuagesimo septimo.

Ex Sylvano Razzio in Vit. BB. Hetrusc. & ex Gregorio Lombardellio in vit. B. NERÆ.

B. BONAVENTVRA PTOLEMÆVS,

Ordinis Prædicatorum.

XXVI. *Decembris.*

BONAVENTVRÆ PTOLEMÆO natalis dies Divo Michaëli sacra nomen Archangeli fecit. Vt natum, renatumque auspicio bis fortunato binominem fateamur. Fortunavit autem nominum auspicium rerum eventus, etiam splendido in prodigio præmonstratus. Nam, propinquante partu, paternis PTOLEMÆIS ædibus novus quidam sol deficiens, ac tristis imminere primùm visus, qui nascenti mox puero nitidissimus arrisit, ut publicum nitore solem infuscaret. An hoc

hoc ideo prodigium præluxit, quia suæ sol patriæ, domusque, BONAVENTVRA, quamvis adhuc lactens feriâ secundâ in Archangeli Michaëlis, sabbatoque in Deiparæ cultum à lacte primùm, tum à cibo abstinuerit: quamvis in Divi Dominici disciplinam, & Ordinem adscitus insolitis progressibus grassaretur ad virtutem: quamvis divinâ facundiâ sacer Orator auritos animos necteret, salubriter captivos, hoc est re ipsa solem se probaret: tamen concepto deinde lethali crimine maculosus, ac decolor, priorem lucem quadriennio hebetavit, obscuravitque, donec Ambrosio Sansedonio è cœlo monente per piacularem confessionem emaculatis noxis, amplissimum jubar Orbi terrarum utilissimè refundendum, recepit. Nam & ad severiorem disciplinam revocatâ morum licentiâ vitæ genus prætermodum austerum suscepit, & obitâ longinquas ad provincias piâ, salubrique peregrinatione boni lumen exempli, solis instar, dispersit. An verò quia malus Dæmon infernam desperationis, ambitionis, & libidinis labem offundere, atque insinuare cum frustra tentasset, ingredi demum viso BONAVENTVRÆ cubiculum, impudicæ fœminæ spectro, apud inspectantes plurimos cives, & rei turpitudinem stomachantes, ejusdem famam denigravit: sed cum iidem ad eum inter preces ingenti splendore circumfusum ingressi mox essent, redux innocentiæ gloria refulsit? Nempe testatur hoc ipsum, fuisse illum à civibus sodalitatum disciplinæ corrigendæ præpositum, ac demandatam eidem prospiciendæ monialibus salutis provinciam: efficacibus etiam concionibus de captivis, catenatisque animis triumphasse, ipsosque famelico Angelos epulas intulisse; compluribus præterea piis, doctisque voluminibus non ætati modò suæ, sed posteris quoque sæculis profuisse. An quod abdicato in sacræ fidei quæstionibus Quæsitoris magistratu, repudiatoque Savonensi Episcopatu, ac divinis animi à corpore alienationibus dissimulatis plausibilem lucem occultavit; brevi tamen in rebus futuris prædivinandis, in præsentibus supra naturæ vim, atque ordinem perficiendis,

& in arcanis animorum pernoſcendis, revelandiſque virtus apertè reluxit? An demum quia præviſo, prænuntiatoque peſtilenti mortis genere, Italiam latè, ac potiſſimùm Senas populante, correptus, ſupremoque deliquio atratus ſeptimo Kal. Ianuarii anno Domini liberatoris 1348, planè defecit: ſed mox luce clariſſimus ſempiternâ, divos inter ſoles, ſuam cœlo diem invexit? Pertinuit autem ad demortui cubiculum illa lux, in eoque duas per horas nocturnas dieſcere viſum eſt: ne BONAVENTVRAM cœlo donatum, terrarum tunc maximè ſolem eſſe dubitaremus, inventum eſt cadaver religioſâ in veſte, aperto capite, ſubmiſſis genibus, junctis ad pectus manibus, vultu, oculiſque in cœlum ſublatis, & ore hilari ac ridibundo ſupplex, tanquam ſi animum, nempe ſolem ſuum rogaret, ut evanidi corporis pulverem vivido charitatis ardore in ſublime felicitatis attolleret. Conſecuta deinde multa, & mira beneficia, præſertim verò ab octavo humationis ac ſepulturæ die Redivivus, indicarunt, BONAVENTVRAM eum eſſe ſolem, qui beneficis radiis uſque ad ſepulchra pervadat, & ipſam mortem calefaciat ad vitam.

Ioannes Polonus Dominicanus jam ab octo diebus tumulatus, ſtatim atque appoſito B. Bonaventuræ cadavere tangitur, revocatur ad vitam.

Ex Gregorio Lombardellio in vita ipſius B. BONAVENTVRÆ.

B. IACOBVS, vulgò MVRATVS, à Monterio.

XXVIII. Decembris.

IACOBO, qui juventam ad annum ætatis trigeſimum licentiæ in omne facinorum genus effuſæ permiſerat, mutatæ mentis, caſtigatæque, & ad omnem Chriſtianæ perfectionis amuſſim exactæ vitæ, accepta inſignis, & quod mirêre, à non immerente calamitas initium fuit; namque compertus interverſæ grandis ex Monterienſi argentifodinâ pecuniæ, quas capite debuerat pœnas, ſiniſtri pedis, ac dexteræ manus jactura perſol-

persolvit. Tali affectus supplicio experiri constituit, ecquid sibi felicius debilitato, & membris capto rapiendæ cœlestis opulentiæ consilium procederet, quàm integro, valentique humiles, & ingloriæ terrenarum rerum rapinæ processissent. Itaque impetrata ab Episcopo Volaterrano, cujus in Diœcesi Monterium est, angusta secundum ædem Divi IACOBI cellula, ea quidem lege aditum ejus ingressus est, ut egredi quoad viveret ne liceret, sed in perpetuæ castitatis, atque jejunii observantia reliquum omne ibi tempus ætatis exigere, injecta peculiaris voti religione necessitas esset; parato antea cujus ope ad emendicanda dietim cibaria, admittendosque ad colloquium fideles uteretur. Annos supra quadraginta eo in claustro asperrimam vitæ rationem IACOBVS duxit; exiguam, deterioremque allati cibi partem degustans, flagellis identidem artus saucians, & nonnisi nudâ humo decumbens: illud identidem usurpans, *Terra terram edomet*. Sed quò magis humanis destitutus solatiis, eò divinis voluptatibus beatiùs abundabat; ex quo præsertim Angelico monitu cœpit Eucharisticâ escâ quotidie refici, Divinam dapem ministrante finitimi templi Rectore. Quo ex epulo eas non solum animo, sed & corpore vires interdum hauriebat, ut per plures dies terreno omni cibo prorsus abstinere valuerit. Atque tam sollicitam in explenda sanctiori hac IACOBI esurie se præbuit Numinis cura, ut deficiente sacerdotis copia manifestam aliquando ipsius Christi Domini speciem cœlestem ad se panem deferentem aspexerit. Quin ut sæpius in die sacram Eucharistiam voto saltem, ac desiderio frequentaret, quoties in proximo templo sacrum habebatur, admirabili quodam machinamento paries interpositus IACOBO abscedere videbatur in partes: atque adeo optatissimo Domini sui conspectu, toto sacrificii tempore fruebatur. Habeat sibi suum cæcum antiquitas fabulosa Cupidinem; divinus noster amor non oculatus modo, sed vel ipso lynceo perspicacior est. Accedebat non rarò ad felicem captivum gratiùs recreandum jucundissimus Angelorum concentus. Ipse Archangelus Divini

Divini olim in terras adventûs faustissimus Nuncius familiari eundem consuetudine beasse visus est: quod etiam ex Astris delapsi præstasse dicuntur Stephanus, Laurentius, & asseclarum suorum haud unquam immemor Magdalena. Hæc autem Pœnitenti nostro quantis benevolentiæ argumentis se propitiam exhibuerit, ex uno disce: Alta præter morem nix IACOBI tecto insederat: cum Dæmones, qui irriti sæpè ab oppugnanda sancti viri constantia discessissent, Carselinum se, & Gualterium ejus amicorum præcipuos mentiti, & specie familiaris cum eo consuetudinis, tugurio suo delitescentem aggressi, solutam tecti contignationem oneri insidentium nivium imparem & jamjam ruituram exclamant, nec sine mortis periculo moram exeundi fieri, nec salva pietate periculum ipsum contemni posse: proinde nisi gravissimum, nec ullo pœnitentiæ beneficio luendum in se piaculum vellet admittere, vitam, cujus dominus ipse non esset, impendenti ruinæ sine mora subduceret. Viris, ut species suadebat, probatæ fidei, pietatisque, nimis celeri submissione IACOBVS se credens, è suâ tandem latebrâ educi sustinuit. Non ferendum ille olim censuit Anaxagoram, quod nivem nigram esse dixisset. Nimis certè atra IACOBO ista nix fuit, quâ illius constantiæ Orci tenebriones illusêre. Nam cognitâ posteà fallaciâ, tum ex amicorum sermone, quorum specie impositum sibi fuerat, tum ex plaudentium sibi Dæmonum strepitu, suæ stultitiæ, ac levitati iratus, seque ipsum erubescens, ubi tandem obseratis foribus suum intra carcerem se IACOBVS recepit, proh quales erupit in gemitus! neque verò ob plagarum, quas acceperat acerbitatem, sed quòd nimis properè objectæ sibi periculi speciei crediderit, quodque de adfuturo sibi divino auxilio immeritò dubitaverit, vehementer animo commovebatur. Et jam noctem lachrymabundus, atque inconsolabilis egerat, donec objecta sibi per quietem illustri D. Magdalenæ, duarumque præterea mulierum Euangelico præconio nobilium imagine recreatum se, & ab omni dolore liberum invenit. Superûm tamen muneribus

Cic. Academic. Quæst. lib. 2.

ribus ita cumulabatur IACOBUS, ut in cæteros illa per charitatis miraculum derivaret. Præ cæteris viri beneficentiam sensit Raynerius Belfortensis ille, qui postmodum in Divi Galgani nobilissimo Asceterio Abbas inter Cistercienses sanctimoniâ percelebris fuit. Cum enim medendi artem Florentiæ eximiâ cum laude exercens Patriam aliquando revisens Monterium diverteret, à IACOBO se redargui miratus est, quod de uxore ducendâ cogitaret, cum tamen occulto voto se jam pridem ad cœlibem vitam colendam obstrinxerit. Multo etiam altius obstupuit, ubi ex ejusdem vaticinio excepit, se Cisterciensibus nomen esse daturum, & in S. Galgani præsulem fore, nec jam ultra corporum, sed animorum saluti sedulam operam navaturum. Quod quidem vaticinium brevi sequutus rei exitus implevit: namque ad Abbatis munus unicâ virtutum ope Raynerius evectus, ipsi IACOBO à confessionibus fuit, & quæ nos de illius vitâ referimus, accuratè descripsit. Miraculorum autem virtute, virtutumque miraculis illustris, anno restitutæ salutis millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, mortalitatis vinculis expeditus, illustrem Beati viri appellationem à publica veneratione sibi promeruit. Sed alienum non est alia prætereà insuetatæ vulgo beneficentiæ decora viri sanctissimi memorare. Dum Tallinus Raynerii, quem diximus, fratris filius corruptum repente, ac marcidum factum vini dolium fortè cum uxore quereretur, graveque inde inter conjuges jurgium instaret, ecce nuncius à IACOBO de ejus vini dolio qualecumque tandem esset ad Sanctum virum mitti rogat. Hæret ille, sed paret tamen, & fragrans generosumque merum extrahit, evanescente statim ex illius oculis nuncio, simulque omni irarum inter virum uxoremque materia. Nerius quidam è templo S. Iacobi, ubi ad multam noctem sacris precibus vacaverat, domum regredi cum pararet, à denso imbre, diroque turbine, quo aër infuscabatur, sibi timebat. Dubitanti, se sistit ephebus splendida facie; qui ex IACOBI mandato animos illi ad progrediendum ingerens, pluviæ vehementiùs ingruentis ne guttâ

B. Raynerius Abbas Cisterciensis.

quidem aspersum, inextinctâ cerei luce, reduxit. Iuveni non solum perditæ, sed furiosæ libidinis ad se accito nefariam, licet occultissimam, cum propriâ parente consuetudinem exprobravit, atque ut crimen naturæ ipsi altiùs erubescendum tandem exhorresceret author fuit. Vsque adeo angustos intra parietes clauso patebant vel penitissima quævis arcana. His aliisque quammultis prodigiis nobilis, post voluntarii pro Christo carceris annum sextum & quadragesimum, æternam libertatem consecuturus supremo correptus est morbo. Monterii populus, ne mox morituri cadaver omni thesauro pretiosius fortè subriperetur, armatis militibus cellam custodiendam jussit. Mirâ tamen vi custodum oculos fugiens IACOBVS Raynerium in S. Galgani commorantem adivit, de imminente sibi morte certiorem reddidit; Hinc Abbatis oculis se subducens, suâ rursus jacens in cellâ repertus est. Die tandem sanctis Innocentibus sacrâ innocentissimus Pœnitens è carceris angustiis ad amplissimam cœli Regiam orando, psallendoque migravit. A morte Raynerio suo veteris amicitiæ non immemor, dum is una cum nonnullis è numero monachorum iter haberet, specie peregrinantis obvius fuit, & à sociis avocato obitam diem ultimam exposuit, proinde ad cadaver Ecclesiæ ritibus procurandum accederet, & quæ de suis virtutibus, ac miraculis certò resciret, posteritati mandaret. Quibus profatis se omnium conspectui repentè subripiens, reliquit odorem, qui longo tractu illam, quam inambulabant, planitiem perquam suaviter inhalavit. Eam odoris præstantiam non animus modo cœleste spirans, sed ipsum etiam IACOBI cadaver sex ac viginti diebus latè diffudit, quibus inhumatum populi undique accurrentis pietati cumulatissimè satisfecit. Variis quippe morbis laborantes cum ad illius contactum illico convalescerent, citius terræ mandari non potuit, ne publica cum illo salus contumulari videretur. Per id verò tempus extincti corpus tam vividum se præstitit, ut quibusdam audaciùs carnis particulas rescindentibus, sanguis largius effluxerit, cum Florentina mulier nomine Landa,

Anno 1289. 28. Decembris.

Landa morbo jam deplorato supremum laborans, ad funebrem ejus lectum devecta facem dexterâ teneret, sanitati continuò est restituta. Fugavit etiam IACOBI virtus ex Mutinæ puellæ corpore infestantem Dæmonem, qui se Nicolai cujusdam ex Ilciorum comitatu animum esse mentiebatur, quo illi jampridem vitâ functo infamiæ labem inureret. Irritis diu votis ad aliorum cœlestis aulæ procerum altaria puellam consanguinei circumduxerant, donec exorcismis adactus nequissimus genius, solâ Iacopini virtute (ita antequam resipisceret IACOBVS audiebat) se expellendum esse inclamavit. Talia & longe plura in publicas tabulas Notarius retulit, quem tam præclaræ mortis famâ permoti Senensis Reipublicæ Moderatores ad id præstandum cum duobus civibus Monterium miserant: quas deinde tabulas Senatus publico sigillo firmari jussit. Volaterranus Præsul tunc temporis Raynerius Aretinus ex Vbertinorum genere tam miris hisce rebus auditis jussit, ut Beati viri cadaver in eâ templi parte seorsim conderetur, quæ claustro imminebat ejusdem inhabitatione nobilitato. Atque inde invocatus IACOBVS ad vivos revocasse dicitur Curtii Bencivennii filiam castis undis præfocantibus peremptam. Demirata sane Mors est, spoliarii sui jura confundi, & ab extincto vitam prodire. Post longum annorum decursum detecto sarcophago, videre fuit IACOBI ossa candidissimo vellere conspersa, & oleo manantia, salutari nimium comprimendis corporum, animorumque pestibus medicamine. Quid quod Henrici Septimi Cæsaris Senensem ditionem infestantis dum copiæ nonnullæ ad Monterii subitam direptionem nocte intempestâ provolarent, pedem illico revocarunt, ubi pro muris excubare suspexerunt ingentem militum manum candido sago arma tegentium? Quod è superis præsidium ad suorum incolumitatem IACOBVM eduxisse, cuidam cœlestium arcanorum participi mox patuit. Sola jam verò Nisibis Iacobum Præsulem non ostentabit, dispositâ mœnibus, præsidiariorum Cœlitum coronâ aggredientes Persas latè fugantem. Disquirant alii, sapienter

Anno 1313.

ter ne ille olim Orientis Imperator mori maluerit, quam lævam telo venenato inter venandum vitiatam, obtruncandam permittere; quod negaret, posse ab unimano Cæsare terras regi. Certe unimanus noster hostium, naturæ, mortis, Inferorumque vires coërcuit, & cœli Regnum feliciter tenuit.

Ex vita manuscriptâ, quæ Monterii servatur: ubi IACOBI *memoriam ingenti celebritate quotannis incolæ recolunt quinto Kal. Ianuarii, vicinis populis ad Beati Viri venerationem confluentibus.*

IANVARIVS.

B. ALBERTVS

à Monte Alceto, Eremita.

VII. *Ianuarii.* SOlem quis dicere falsum audeat? quis candida illustrissimi omnium syderis luce obscurum quidquam, & inglorium posse portendi putet? Testis Alberti, quem hîc scribendum suscipimus, claritudo, vitæque ac rerum præclare gestarum longissima series, quarum illustre præsagium sol ille fuisse creditur, quem eo gravida parens ejus visa sibi est utero gestare. Gravem tamen infante isto dicere parentem non debui; siquidem dum illa ventrem tulit, nullo se premi pondere, nullâque penitus angi molestiâ mirabatur. Quod si tanta in ALBERTO maternis etiamnum visceribus hærente claritudo fuit, quantam deinde fuisse par est, postquam fulgori natalium sequutus deinde maximarum virtutum splendor accessit? Vt superum nectar esurire assuesceret, primulis labris nonnisi rariùs, certisque horis lac exuxit: puer verò tres in hebdomadâ dies jejunio sacros habuit; cibos interim sibi destinatos pauperibus deferens, teneri cordis pietate, in egentium solamine, largiter obsonante. *1.Petri 2.* Adolescens ut se advenam re ipsa, ac peregrinum in hac morta-

mortalitate probaret, ſanctiora quæque Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæque loca, quæ acriùs cœleſtis Patriæ deſiderium acuerent, diuturnis itineribus luſtravit: quin ipſâ ex Terrâ corporatæ Divinitatis veſtigiis nobili poſt exhauſtos immenſos ejus adeundæ labores jucundiſſimum viſendi, venerandique fructum haurire voluit. Hæc inter itinera illud accidit præ cæteris admirandum, quòd candidiſſima columba ſe per quamplures dies ALBERTO viæ comitem adjungens, viſa eſt illius capiti obvolitare, & arcanas voces auribus inſuſurrare: ut mirum non ſit tam bonâ ave auſpicatum iter feliciter exegiſſe. Hæc verò columba ubi ducem per ſacra loca ſe præſtitit ad aureæ pietatis ramum non unum conquirendum, quo ſcilicet felicius, quam Æneæ Tartara, ALBERTO ſydera paterent, tandem reducem accepit Patria. Vbi quas virtutum opes expoſuerit, ſatis oſtendit S. Anſelmus, dum illac tranſiens, ALBERTI domum nullâ ſibi humanitus notitiâ perſpectam divertit, iis ingreſſu verbis prolatis: Hæc domus Dei eſt, in qua me hoſpitari oportet. Sane hoſpes minime aſymbolus fuit, nam acceptam hoſpitii humanitatem abunde meruiſſe viſus eſt ſaluberrimis illis adhortationibus, quibus ipſum ad mundi contemptum, & perfectam ſui ipſius victoriam incendit. Nec ſurdo cecinit Anſelmus; Mox enim mortalium rerum curis omnibus abdicatis, ad religioſam ſolitudinem ſe ille recipiens, omne ſtudium in ſui corporis afflictationem intendit, ut quæ veriſſime prodeſt ſola nocendo, & hominem conſumptis in eo terreſtribus vitiis Deum quodammodo facit. Quare aſperrimam planè vitæ rationem iniit, carnium eſu ſibi penitus interdicens, vinum Dominicis tantum diebus admittens, non alio quam hordeaceo pane refectus, ſuper nudâ vel humo, vel tabulâ breviſſimo ſopori ſuccumbens, artus cilicinâ premens interulâ, crebriſque flagellis cruentans. Imò ut cum terrâ aër in ipſius pœnas conſpiraret, tugurium ſibi ſelegit in edito montis, qui Turricella dicitur, infeſtis aſſiduè ventorum furiis infamis. Verum ex adverſo res cecidit, inclytam viri conſtantiam ventis ſubmiſſo in

posterum murmure venerantibus, & multo admirabiliùs ALBERTI modestiæ decedentibus, quam ad classica olim conjurati venisse dicti sunt. Insolitum ventorum silentium populorum plausum excivit; coque celebrius in dies, quod pleraque alia rationis ac sensus expertia mirum erga carissimum hoc cœlo caput obsequium induêre: nam & aqua non semel in vinum sublevandis pauperibus ejus imperio obsequuta transisse dicitur, & exigua vini phiala sedandæ duodecim hominum siti superfuisse, aves, & lepores, & alia id genus animantia humanam consuetudinem maximè aspernari solita, sinum ejus ultro appetisse, ac se tractandas prodigiosa securitate præbuisse; ac ne lupos quidem eo invito ingenii sui asperitatem retinere ausos, constans eorum temporum fama fuit: ipsa feritate in ejus gratiam meritò mansuescente, quem nemo unquam iratum vidit, vel leviter obloquendo infensum audivit nemo. Et verò quî ulli obesset vir usque adeo eximiâ in alios charitate profusus, ut inopi miserè quiritanti, cum aliud erogandum non suppeteret, illam ipsam donaverit pelliceam tunicam, quâ se unicâ à frigoris injuriis tuebatur? Nobilis elegantissimi Philosophorum querela fuit, Soli, nisi cum deficit, spectatores non esse. Nihil tale illustrissimis egregii hujus viri virtutibus accidit, quæ in media sui claritudine frequentem admiratorum, spectatorumque vel ipsam solitudinem fecere; affluentibus certatim ad insusitata signorum spectacula omnium ordinum hominibus, & magnitudinem in eo divinæ bonitatis laudantibus. Testes geminæ illæ puellæ, altera oculis, loquendi facultate altera per omnem ætatem privatæ, captæque, ad viri sanctissimi nutum integritatis, sanitatisque solatia consequutæ. Quantus verò Sol, qui tot annorum tenebris proscriptis diem faustissimum largiretur; nec fabulose statuas, quod in effigie Memnonis apud Ægyptum usu venisse fama est, sed vere homines vocales faceret. Ex ipsa Hispania evocavit sanctimonialem virginem, præ morbo elephantico viventis mortis tabidum simulacrum, postquam ad medicæ artis ingenium irritis diu conatibus

Cic. Philip. 3.

bus confugerat. Et quidem vidisse, convalescere fuit, subito quodam vitali igne per ejus artus excurrente (Solem calore animantem quis hic non deprehendat?) ut vis mirum in modum præfervida, & carnes, quæ defluebant, constringeret, & fascias, quibus obligabantur, exolveret. Nec leviori miraculo per vicariam sui speciem apparens Grifoni cuidam ex oppido S. Geminiani, quem Montis Alceti Comes in nervos, & vincula compegerat, fractis repente compedibus, carcerisque januis sese ultro pandentibus, ipsum libertati restituit. Per similem absentis virtutem Griffolus ipsius ALBERTI sororis filius è latronum manibus evasit, animum repente sibi, viresque deficientes, & in se segnitiem non suam demirantium. Quid quod cœlestem virtutem aquæ benè precando cum ALBERTUS infunderet, ejusdem haustu plurimi è gravissimis morbis, & ex ipso gurgite mortis emersere? Hos inter celebris extitit mulier, cujus sub dio dormientis apertum forte in os serpens illapsus, nempe soporem excussit, sed alterum mox lethalem somnum inducturus per virus præcordiis inspiratum. Verum salutari undâ, quam diximus, epotâ, serpentem è vestigio mulier evomens, nullâ penitus reliquâ labe surrexit. Tam familiari beneficentiâ omnes complectens ALBERTUS, annon se Lunam quoque probavit, terris familiarissimum sydus, cujus unà cum Sole speciem parens ejus utero gerere visa sibi est? sed & populorum in æstimatione tam magnus, imâ tamen animi demissione ad nihilum se redigens, quam dilucidè eandem expressit immensam orbe pleno, ac repente nullam? Atque in hanc quoque Lunam frustra tartareus canis ringere est ausus, & modò larvato agmine horribilium luporum Divi casam obsidere, modò trabalis specie draconis in eandem irrumpere, aliaque in monstra Orci Proteus se transformare: ridente interim ALBERTO superbissimi Angeli fastum belluinâ vilitate confusum. Durius longè certamen veterator movit, cum mollem puellæ formosissimæ speciem subiens, molitus est, integerrimi cordis labefactare constantiam. Atqui nudos artus inter

urticas

urticas diu volutans, oſtendit videlicet contra nimium præceps veteris Poëtæ judicium, non ſolo caſtæ mentis propoſito, ſed herbis etiam medicabilem amorem eſſe. Quin ut intimum hoſtem penitus cruentiusque defigeret, ſeſe medias in ſpinas nudum abjecit: ſane membra pungendo impuras è corde notas omnino expunxit. Tali inſignis purpura glorioſus ſui ipſius victor ALBERTVS, exacto ſeptimo ac trigeſimo à petita ſolitudine anno, ad cœleſtis capitolii triumphum placidiſſimæ mortis beneficio ſublatus eſt.

Ovidius 1. Met.

Ex vitâ ſcriptâ paulò poſt B. ALBERTI *obitum in membranis, quas Camaldulenſes Senis ſervant. Et ex Andreâ Gelſimino in Theſauro cœleſti pietatis in Virginem cap.* 21.

B. PETRVS

Trequandenſis, Ordinis Minorum.

XVII. *Ianuarii.*

AH! ne Franciſcano è clauſtro domeſticam in libertatem invitum filium, quamvis decennem pater abſtrahe. Ne religioſos viros, tanquam deceptores, contumeliis, eundemque filium, tanquam leviculum verberibus accipe. Auguror: nec vana fides, graviſſimè provocato à Numine vapulabis. Ecce paternam vix domum reprehenſus repentino PETRVS prodigio excœcatur. Divinæ nimirum diei oculis initiatis, objectæ iterum terræ offuſa nox eſt. Hoc tamen benè vertit: nam filii cœcitas patri viſum reſtituit, ut ſuum agnoſceret ſcelus, utque præreptam Deo redderet hoſtiam tenellam, poſtquam voti nuncupatione priſtinum illi oculorum vigorem impetravit. Tam felicibus ex initiis in doctrinæ, pietatis, & arctioris obſervantiæ progreſſus adolevit. Sed miramur, eum præcipuè per annos quadraginta declinaſſe, quoad licuit, hominum conſuetudinem, quia ſe provolutæ, effuſæque in iram indolis

dolis nosset: & à mulierum aspectu, & colloquio abstinuisse, quod hominem se timeret. Qui verò privatim silebat, divino verba eloquio publicè faciebat ad populum. Et quamvis multi manus, animosque dicenti darent: fuere tamen, qui prosperam castimoniæ famam sic delibarint, ut oppidò suis exosum in desperationem, & fugam adegerint: fecissetque, nisi benè mane abeuntem divinitus objectus mediâ in sylvâ serpentibus scatens, repentinus terræ hiatus ab inconsulto consilio absterruisset; ac resipiscentem subito monuisset occlusus, anguineas Inferorum linguas tolerantis in virum innocentiæ irrito brevique sibilo armari. Nihil jam dico, quantum vel levium culparum pius ultor in se ipse sævierit. Nihil commemoro, quanto cum plausu rebus mirabiliter & prædictis, & patratis suæ ipse vitæ sanctimoniam comprobarit. Nihil denique prædico, morum similitudine amicitiam conciliante, Bernardino Senensi Albizeschio usum esse amicissimo. Nam me vocat suprema ejus dies, antequam dici nemo beatus aut debet, aut potest. Mirantem ille aliquando, quod vir ultimæ non solum ætatis, sed etiam diuturnis quadraginta jam annorum, valentibusque morbis, quos divinitus imploraverat, æger, non cubando, sed stando brevem caperet quietem sic præmonuerat: *Vbi me videris*, inquit, *in lectulo cubantem, tum tanquam morti proximo resera sepulchrum.* Id enimvero res ipsa probavit, cum postremo in Cetonensis Oppidi cœnobio decumbens, è grabato transcendit in cœlum, decimo sexto Kal. Februarias, anno à Christiparâ Virgine 1492.

Ex Sylvano Razzio in vita SS. ac BB. Hetrusc. ex Martyrolog. Franciscan. sub die 17. Ianuar. & ex Marco Ulyssipponensi, Lucâ Wadingo, aliisque Franciscanis Scriptoribus.

B. ANTONIVS OLITOR,

à pago S. Reginæ, Ordinis Minorum.

XXX. *Ianuarii.* *Persius sat. 2.*

NOn sanè, ut curvas in terram animas nobilis ille vitiorum exagitator Poëta cœlestium inanes merito appellavit, ita etiam prona ad fodiendum humum corpora, & operi diurno semper intentas manus vacuas divinis à muneribus dixerimus. Nihil hoc genere quæstus innocentius, nihil antiquius, nihil cum virtute conjunctius. Testis abundè locuples suburbani apud Senas horti consitor, & assiduus cultor ANTONIVS, qui ex humili, & laboriosa alendorum olerum conditione ad perpetuam cœlestis horti possessionem per omnia Christianarum virtutum exempla transivit. Et primo quidem, ne cum mundi amatoribus tanquam olera herbarum ipse quoque citò decideret, ad Sanctissimi Francisci asseclas se contulit, pietatis perenniter frugiferæ animis inseminandæ experientissimos. Illis vix ascriptus, se ipsum in hortum cœlesti sponso dignum conformare sollicitâ statim industriâ aggressus est: jamdudum edoctus, rem esse agrestem insidiosissimam cunctanti. Hinc proprios artus exquisitis disciplinæ severioris afflictationibus exercere cœpit; quippe perspectum habens, terram nonnisi per vulnera fœcundari, & proscissam, ferroque eruditam, ac omnibus cruciatam horis, nostris famulari deliciis. Quia verò subtractum contumaci corpori pabulum vividiorem animæ nitorem inspirat, sacra quadraginta dierum jejunia septies in singulos annos suo Ordini præscripta, pane, ac frigida tantummodo absynthii amaritie conditis protrahebat: acerbius, quam fame ipsâ, gulam cibi refectione torquente. Memor prætereà malum esse agnum cum quo Dominus luctetur, se totum adeo religiosæ obedientiæ permisit, ut paratissimum sese dictitaret, ad Præsidis nutum in medios ignes insilire. Ne porrò germinantia pietatis semina vel tenues ullæ divitiæ, infestæ scilicet spinæ suffocarent,

Psal. 36. *Columella lib. 11. cap. 1.* *Plin. lib. 2. cap. 65.* *Plin. lib. 18. cap. 5.* *Luca 8.*

focarent, præter veſtem, quam geſtabat, aliud planè nihil ſibi retinuit uſque dum vixit, & nudis omnino pedibus ſemper inceſſit. Atque ita omni prorſus vitioſo gramine exterminato, puriſſimus jam Hortus, & roſcido indulgentium gratiarum lactatu beatior, jugatisque virtutibus apprimè excultus, meruit vel è Paradiſo ad ſe ſuperos illecebrâ inhalatæ ſuavitatis allicere. Proinde ad ANTONIVM in amabiles preces effuſum, animique flores in arridens blandimentum explicantem frequentes cœlites, Maria præſertim Magdalena, ac Bernardinus Albizeſchius, nec ſemel cœlitum Regina, & Divina ipſa Christi majeſtas ſpectabiles accedere viſæ ſunt. Quod ſi Domini veſtigia cultura agri ſunt optima, quis hunc noſtrum fuiſſe cultiſſimum inficietur, quem crebrius inviſens rerum omnium Dominus, altis beneficentiſſimæ curæ veſtigiis fortunabat? Dum ſanè cum Pulcherrimâ mulierum ſponſus amabilis, tanquam ad delicium deſcendit ad Franciſcanum hunc hortum, oſtenſum voluit, cineracei coloris terram non ſemper operi difficillimam eſſe, ac ſterilem, ut ille docuit, ſed poſſe bonâ fide creditum fœnus reddere, & ea ubertim germina proferre, quibus Deus ipſe gratius paſcatur. Cæterum ut optimus noſter Colonus varium cœli prædiſcere morem è propinquiori intentiùs poſſet, non mente modò, ſed toto in excelſum corpore abripiebatur, vel inter ſylvas, vel in ipſo, quod incolebat, Scarlini cœnobio, lucem animo hauſtam ex ipſo latè vultu tranſmittens. Et vero ſyderum arcana egregiè didiciſſe viſus eſt ex multis, quæ, ut ipſe prædixerat, evenerunt, gravi præcipuè ex bello, quo juxta ANTONII oraculum Alphonſus Aragoniæ, ac Neapolis Rex Hetruriam infeſtavit. Quo bello ingraveſcente illud planè admirabile Vatis noſtri præpotentem virtutem in mundi luce collocavit. Craſſetani Cives quatuor ac viginti ab hoſtibus intercepti in navim detruſi fuerant, compedibus & catenis onerati. Captivorum conſanguinei, ac neceſſarii in re profligatâ ad ANTONII preces ſacram veluti ad anchoram confugêre. Ille gementibus bono animo

Plin. lib. 17. cap. 5.

Alphonſus Primus An. 1446.

esse jussis, eâdem nocte cum rem conficiendam effusis ad Deum precibus aggressus esset, visus est captivis ipsis adesse conspicuus, & ferrea omnibus vincula dissolvere, cum appositos eorum custodiæ milites immissus divino consilio sopor oppressisset. Atque adeo penitus immunes ad unum omnes evasêre, & reduces incredibili gaudio Patriam cumularunt: dum interim longè absens ANTONIVS rei seriem universam Scarlinensis Ascecterii Moderatori aperiebat, tanquam ea, quæ gerebantur subjecta tum maximè oculis haberet. Gratissimum hoc prodigium in populos evulgatum, mirum quantum sancti Viri æstimationem amplificavit. Et jam quamplures vario morborum genere laborantes ad ipsum confluebant, illasque rustico opere attritas manus ambitiosè prensabant, à quarum benedictione restitutos sese pristinæ valetudini mirabantur. O verè felicem, nimisque fortunatum agricolam, qui & rerum causas cognoscere, & suis, alienisque bonis potuit tam mirè prospicere. Majores nostri, ajebat ille, virum bonum cum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum. Amplissimè laudari existimabatur, qui ita laudabatur. An si uberior ANTONII similium rusticorum proventus esset, non hic idem omnium sæculorum sensus esset? Nunc humilis iste olitor ex horto ad immortale Regnum evectus, superbissimum illum Principum, & Iovii titulo sese jactantem Diocletianum, è terrarum Domino, & humani generis rectore in olitoris sortem detrusum meritò ridet.

obiit ANTONIVS *an.* 1453.

Ex Marco Vlyssippon. in Chronic. Minorum par. 3. lib. 3. cap. 40. Sylvano Razzio in vita SS. Hetrusc. & ex Martyrolog. Francisc.

B. PETRVS,

B. PETRVS, vulgo PLORANS,

à Rosiâ, Ordinis Eremit. S. Augustini.

EN iterum PETRVM amarè flentem, sed nullum abnegati Magistri ob crimen, nec medias modo inter tenebras à gallo excitatum ad lachrymas, imò profusis ploratibus dies noctesque vacantem. Neque verò ex Heracliti sententia perspectis humanæ conditionis miseriis illas lachrymas dabat, quando ei se officio ipso nascentis vitæ in limine abundè satisfecisse sciebat, quo primùm tempore nomen suum inter ærumnosos vallis lachrymarum incolas professus est. Sed liquidissimis illis commiserantis cordis argumentis prosequi studebat PETRVS Reparatorem suum Cruci defixum, hoc est ipsam cœli lætitiam terræ doloribus funestatam. Si quando objici sibi ex Apostolo accipiebat, hilarem à Deo datorem diligi, respondere solebat; Quin ergo, me Deus prolixiùs diligat, hilarem quippe datorem lachrymarum? Eadem quæ doloris filia, lætitiæ parens est lachryma. Hæc planè cordis mei voluptas unicè jucunda est dolenti Domino condolere. An amantissimo Deo stillicidia oculorum rependere absistam, qui meæ salutis ergo ex omnibus artubus undanti sanguine lachrymatur? si in oculis gerere debeo æternum illum Amorem meum, quin teneriora oculorum obsequia ipsi perpetuo exhibeam? sic PETRVS suo contra vetus dictum exemplo probabat, lachrymis venâ Divini Amoris irriguis nil tardius arescere. Cæterum Beati viri cor, tanta perennis fletus redundantia nequaquam distabuit, sed planè integerrimum mansit, vividâque virtutum omnium præstitit firmitate. Quidquid blandissimâ luminum suadelâ, & flexanimis palpebrarum rorantium oratricibus æternum suas in partes Iudicem trahebat, nihilque blandissima ea amoris machina à divina clementia non obtinebat? quousque pretiosa sanctorum Mors inter udas illas frontis nubes irim coloravit æternæ serenitatis nunciam.

.... Ianuarii.

2. Corinth. cap. 9.

Et verò si lachrymas tamdiù sevit, quid supererat, nisi *Psal. 125.* ut ex Regii Vatis oraculo gaudia meteret?

Ex Herrera in Alphab. Augustin. lit. P. & ex Torello centur. 2. Augustin. sanctimonia illustrium cap. 80.

GEORGIVS DE LVTIS,

Ordinis Iesuatorum.

. . . Ianuarii. QVis non GEORGIVM verè floridi eloquii oratorem agnoscat, cujus animi sensa non magis verborum, quàm rosarum proventu in illustri, quod hîc tradimus, vaticinio, patuêre? Adiverat ad sanctum hunc virum in Lucensi forte cœnobio commorantem Hieronymus Carrara, vir ejus civitatis imprimis clarus, & nobilis, adductus incredibili studio hominem inclytum, & magni per omnem Italiam nominis familiari colloquio compellandi. Atque ut eo jucundior ex ipso cœli, solique amœnioris aspectu collocutio accideret, domesticum in hortum ambo descenderant. Cum extemplo GEORGIVS occulto Divini Spiritus impetu correptus, imminentes Christianæ Reipublicæ, ac præsertim Italiæ calamitates, non secus ac si res ipsas tunc maximè oculis usurparet, amico singillatim exposuit. Ne tamen vatem unicè ominosum credas, non pauca tristibus etiam læta intexuit, variâque dissidentium inter se casuum facie satis ostendit, quàm sit Dei Optimi Maximi admirabili mista lenitate severitas. Atque ut Hieronymo secum quæ audierat tacitè reputanti omnem de veritate vaticinii dubitationem adimeret, decerptum è rosarum plantâ calamum, vel, ut alii tradunt, meri corticis partem, arido stipiti humi defixo adjunxit: subditque, è demortuo illo trunco vividum spiritum ita in surculum esse proditurum, ut intra octiduum vernantes rosas effunderet. Ad extremum monuit amicum, ne quod audierat se superstite (quod etiamnum ad breve tempus

tempus futurum erat) efferret. Triplicis oraculi denunciatio mirè allicitum habuit Hieronymi animum. Itaque ſub primam conditæ diei lucem ad hortum advolavit, facturus periculum, ecquid inuſitata illa roſarum fœtura fidem reliqui vaticinii de publicis calamitatibus, deque maturo ipſius vatis obitu affirmaret. Et ecce ſuſpicit recens illud calami fruſtulum jam cum ſubjecto palo coaliti, geminam in roſam erupiſſe : quarum altera totam explicabat folioſi muricis ambitionem, altera ex alabaſtris nondum evoluta, ſed ſubalbido flore lacteſcens, candidata videlicet aſpirabat ad purpuram. Ita enimvero GEORGII potentia vires naturæ omnes excedens præſtitit novum in modum, ut roſæ non manu modò, ſed oculis legerentur, arcanis notis deſcriptâ prænunciatarum rerum certitudine ſeſe in illis prodente. Sanè non poterat tellus oraculi veritati nobiliùs ſuffragari, quàm floridiſſimæ majeſtatis Reginâ uſa teſte. Verum utcumque gratæ acciderint ejuſmodi roſæ GEORGIO, longè tamen ſolidiùs ſibi defixum ejus animum detinebant Chriſti patientis ſpinæ. Sacris enim commentationibus mentem intendenti occurrebant illicò Divini cruciatus, voluptate prædulciter amarâ, uſque adeò cordis intima corripientes, ut in eo meditandi genere ſæpe integras dies, noctesque tranſigeret, corde tenerrimas in lachrymas eliquato : Reparatoris interim ſui intra vulnera ſatis quieſcens, & nectare ex illis defluo unicè paſtus. Vt porrò ad Amorem ſuum è Cruce pendentem arctius amplectendum aſſurgeret, pœnitentiæ, animi demiſſionis, ac obedientiæ præcipuis gradibus nitebatur. Et demiſſio quidem eo ſpectabilior erat in tanto viro, quòd ab illuſtribus parentibus Hieronymo Lutio, & Agathâ Spannocchiâ in ſpem ingentium opum, honorumque ac titulorum natus, ſe quaſi hominum viliſſimum gerebat, atque hæc animum una ſollicitabat ambitio, omnibus eſſe deſpectui. Perſpicuè tamen in GEORGIO impleta eſt ſpontaneæ humilitatis exaltandæ Divina promiſſio: *Lucæ 14.* quippè non raro dum orans mentem cœleſtibus inferebat, corpore quoque ſublimiùs ab humo extollebatur,

ſub

ſub oculis multorum ſenſu pietatis rem demirantium, & viri ſanctimoniæ effuſè plaudentium. Hac vero aſcendendi ratione ubi viam in cœlum tentavit ſæpius, feliciter illam tandem emenſus eſt anno à partu Virginis 1491. fruique cœpit immortali Vere, quod ipſi paulò antè portenderat nuntia beatæ mortis roſa, multo auſpicatiùs è duro ſtipite, quàm olim è tenero, ut eſt in fabulis, pede progenita.

Ex Io. Baptiſta Roſſo in triumpho B. Ioan. Columbini par. 5. cap. 17.

F E B R V A R I V S.

B. N I C O L A V S T I N I,

Ordinis Eremit. S. Auguſtini.

IX. Februarii.

SOl animi, virtus, miraculis præradians, & efficacitate ſenſilis mirabiles excitat amores, ac reverentiam ſui. Quid igitur mirum, ſi NICOLAI ex ordine Auguſtiniano virtutem rebus mirè geſtis ſummoperè amabilem, & venerandam prædicamus? Hæc in Senenſem vivendi licentiam dum acriter, atque inflammanter invehitur, mente divinitus præſcia futurorum diram Senenſibus peſtilentiam comminatur, quæ poſtmodum à calamitoſo ſalutis anno 1338, ferè mediam civium partem, & decennio poſt alia quamplura intra Vrbem mortalium millia conſumpſit. Atque iſta præſertim inſignita, & conteſtatiſſima vaticinatio publicum NICOLAO vatis nomen adjunxit. Eadem cœnobium moderantis virtus fugitivum ex Vrbe, ac turmatim ad Ilicetanum cœnobium fame, ſitique laborantem populum ſic excipiebat, ut, œconomo rei domeſticæ jacturam indignè ferente, palamque damnante, liberaliter expleret; nec tamen annona frumenti, vinique divino liberalitatis prodigio, deficeret. Eandem reveritæ Senenſes turmæ Ilicetanum

Iugurtha Tomaſius lib. 10. hiſt. Senenſis.

Ob luem an. 1348. omiſſum penitus eſt ampliſſimum Templi maximi additamentum, decem ante an-

tanum in cœnobium jam conjuratæ, quòd patriæ perduellibus perfugium præbuisse falsò crederent, ab domus excidio, & ab innoxiorum trium suspendio abstinuerunt. Etenim dum Senis movet curru invectum ferale cum quadringentis militibus vexillum, dum alii jam cœnobii septis occupatis, ejusdem vexilli clades, eversionesque imperantis adventum expectant, ad efficaces NICOLAI preces repentinis imbribus, fulminibusque ruentibus, ac tumescentibus in flumina rivulis, bellax natura furentes Senensium impetus coërcuit, & arma coëgit mansuescere. Diluvio quoque injustam tres in damnatos sententiam demersit, donec recognitione causæ innocentia enataret. Denique virtus eadem benefica Guidoni ad servilia ministeria admisso, atrâ bile laboranti suspendium, quo sese jam peremerat, in productiorem vitam convertit. Qui mirandis hisce sanctitatis in characteribus cœlestem morum indolem non legit, is profectò in meridie cæcutit. Obiit quinto Idus Februarias anni 1388, annos natus quinque supra octuaginta. Serus abiit in cœlum, quippe terris è proximo utilissimus.

nos sub Lando ingentis nominis Architecto inceptum.

Ex Thomâ de Herrera in Alphab. Augustinian. L. N. Aloysio Torello centur. 3. Iugurtha Tomasio lib. 9. Hist. Senens.

B. IOANNES RISTORIVS,

Ordinis Minorum.

HVjus nomen IOANNIS dum audis, eloquentiæ flumen cogita, in quo naufraga extinguatur impietas: fulmen etiam credes, si orantis ardorem spectes; sed quod vulnerabat ad vitam, & infectis cordium vulneribus medebatur. Testis Mœsia, aliæque circum infestæ labis hæreticæ contagione Provinciæ, ad quas inclytæ Franciscanæ Familiæ Moderatores IOAN-

XV. *Februarii.*

NEM expedivere; qui videlicet tam multis, plenisque discriminis locis unus satis, sacros ignes à Seraphico Parente ductos intorqueret, ad restinguendam Hydram virulentis capitibus pullulantem. Vsque adeò amplam RISTORIVS adhuc juvenis sustinebat fortium operum expectationem. Et verò flammis cœlestibus Tartareas pestes ita compressit, ut innumeri mortalium saniori menti restituti, in gratiam Romanâ cum Ecclesiâ redierint. Euangelii namque germanus præco, non ut aures populi scalperet, laciniosis periodis sermonis flosculos, & orationis lenocinia studiosè captabat; sed scitè ratiocinando, gravibus, verisque Sententiis, & Divino quodam dicendi impetu, animos vel sceleribus inquinatissimos permovebat. Sed evincens præ cæteris argumentum ipsa erant exempla vitæ, omnibus sanctimoniæ numeris absolutæ: seu modestiam, suique despectum in tanti nominis viro populi admirarentur, seu victus, cultusque asperitatem, sive Dei amorem in verbis illius omnibus, gestisque spirantem. Transactis porrò tam strenuè piâ in expeditione integris annis triginta, æquum erat, ut sacras manubias triumphans referret in Patriam, & supremum vitæ tempus gratâ vice impenderet in illustranda virtutibus heroicis Vrbe, à qua patricii sanguinis hauserat lucem. Post reditum meritorum IOANNIS in Patriam, imò in Christianum Orbem universum, summa hæc est; Bernardinum (magnum illud inter cœlites nomen) primùm excitasse, ut à Mundi partibus ad religiosa castra honestissimo transfugio deficeret: mox eundem privatis institutionibus ad omnem virtutem informasse; atque ut Amicam ab adolescentia exquisitam Virginum Maximam, fervidiori in dies studio prosequeretur, acriter succendisse. In hoc autem præstando ut Alumno suo præiret exemplar, ad officiosa in Patronam munera ritè obeunda, frequentabat Bernardino Comite celeberrimam sodalitatem, sub Xenodochii ædibus Deiparæ cultui mancipatam. Quid obsecro non evincat eloquentia illa, regum animis dominari nata, cum se in angustos unius Conclavis terminos arctavit? quo in docilimi

limi auditoris corde ad altiſſimæ Reginæ amorem ignes non excitet? Vt intelligas Senis MARIÆ ſuum non defuiſſe IOANNEM in filium, & quidem talem, per quem Virginea fœcunditas uberiori prole gauderet. Quantis grata illum muneribus Diva cumulaverit, per ſe facilè intelliget quiſquis præpotentis Reginæ munificentiam non ignorat. Illud inſolitâ voluptate ſanctiſſimum virum perfudit, mente videlicet divinitus illuſtratâ manifeſtè proſpicere, ac prædicere, ad quàm ſublimes pietatis gradus futurum eſſet, ut ſuus Bernardinus aſſurgeret. Vates ſuâ planè feliciter acceptus in Patriâ, quippe ſancti Patris nomine, illi publicè acclamabatur. Quod ſi humana ora ſilere contigiſſet, RISTORII vitam perpetuo tractu ad ſupremum uſque ſpiritum integerrimè ductam locutæ ſatis eſſent geminæ columbæ, niveo candore viſendæ, quæ ſuis gemitibus Seni candidiſſimo in Vrbe patriâ extincto parentarunt. Adſtiterunt hæ ſacro cadaveri aſſiduè (ut in Senenſi Franciſcanorum cœnobio conſtans fama eſt) ſtupentemque inuſitatam timidiſſimarum animantium ſecuritatem, circumfuſam populi multitudinem jucundo ſpectaculo detinuere, quoad ſepulturæ traditum eſt, tunc demum evolarunt in cœlum. Erubeſcat antiquitas albas columbas Palæſtino Syro ſanctas, quòd Semiramidem educaſſe ferrentur, fœminam ingentium quidem palmarum, ſed quas palmaribus ſceleribus inquinavit. Tibi quidem Sena auſpicatiſſimæ ſint iſtæ columbæ, quæ egregii tui civis cœlo renati, celebritatem tam miro ſpectaculo diu aluerunt. Columbas, Veneris aves ne quis ultra dixerit, quando tanta eſt illis in corpus caſtiſſimum obſervantia.

Anno 1408.

Diodorus Siculus lib. 3.

E Scriptoribus vitæ S. Bernardini, ex libro conſiliorum Senenſis Franciſcan. Cænobii, ex codice Senenſ. ſodalitatis S. MARIÆ de Scala, & ex Martyrologio Franciſcano.

B. THOMAS CAFFARINVS, Ordinis Prædicatorum.

.... Februarii. Quod ad conservationem libertatis nostræ pertinet, unde superioribus temporibus orta est, inde quoque & posthac nobis firmissima perseverabit, quod est à V. I. D. benigna protectione, atque auxilio, &c. Resp. Senens. ad Venet. in literis de obitu Pii II. dat... Augusti 1464.

INsigni beneficio libertatis, quod nostra Civitas Venetis tanti boni auctoribus libentissimè semper debuit, abundè gratiam retulisse videri potest, cum illis Caffarinum THOMAM Ordinis Prædicatorum sacerdotem, profundæ virum eruditionis, nec minoris eloquentiæ fruendum totos quinquaginta per annos transmisit, veramque humani animi libertatem, quæ solida virtute, & recto Dei cultu continetur, ea in Vrbe propagaturum. Vel unus ille Dominicanæ familiæ Tertius Ordo, quem ibi THOMAS instituit, & à Pœnitentia dictum voluit, annon innumeros ab Inferorum, mundique tyrannide vindicavit? satis luculenta testis una sit B. Maria Storiona celebratæ sanctimoniæ matrona, quæ concionantis THOMÆ vehementia commota, retineri non potuit, quin illicò omnibus florentissimæ ætatis, & elegantissimæ, qua prædita erat formæ, oblectamentis, omnibus item divitiarum, & nobilitatis domesticæ commodis paupertatem Christi, & voluntariam corporis afflictationem præferret, in asperum Virginum à Pœnitentia dictarum cœnobium transgressa. Hic illa ad sanctissimos magistri mores, atque exempla totam se fingens, carnium esu perpetuò abstinuit, humilem, ac asperam vestem ne paucis quidem illis noctis horis, per quas sopori succumberet, unquam posuit; atroces quotidiè ingeniosior in pœnas, rebellium sensuum contumaciam ita compressit, atque ad eam perfectissimæ vitæ rationem progressa est, ut meritò gestiens, ad triumphalem animam coronandam delapsos cœli Proceres frequentissimos

Sanctæ, ac beatæ memoriæ Fr. Thomas Antonii Naccii extitit ferventissimus illorum temporum verbi Dei Prædicator. Nam inter prædicationem in extasim pluries raptus, magis Divinum, quàm humanum sapiebat, &c.

Hæc habentur in veteri codice, in quem referebantur nomina Dominicanorum obeuntium, cœnobio Senensi addictorum.

De B. Maria Storiona Michaël Pio lib. 2. vit. 24.

ſimos morti proxima videre ſe dixerit. Nec immemori poſt adeptam immortalitatem, ingratovè animo erga felicitatis authorem ſuæ ſanctiſſima fœmina fuit, quippe crebro viſendam ſe illi fulgentiſſima in luce dediſſe fama eſt; ſuaviſſimiſque de cœleſtibus rebus alloquiis, multiſque prætereà ſpiritualibus ſolatiis mœrentem affeciſſe. Sanè per quæſitam Venetis Mariam temperaſſe nonnihil viſa eſt cœleſtis indulgentia dolorem animo THOMÆ conceptum ob amiſſam pridem apud Senas Catharinam Benincaſiam, cujus itidem virtutum, partæque per virtutem gloriæ primus, & præcipuus adjutor THOMAS fuit; ſalubribus enim conſiliis, monitiſque inter audiendam ejus conſcientiæ hiſtoriam opportunè ſuppeditatis, primos illi ad capeſſendam eam, qua deinde claruit, ſanctimoniæ magnitudinem impetus injecit, nec unum dumtaxat laudatiſſimæ operæ ſuæ fructum ex clariſſimo ipſius alumnæ progreſſu cœpiſſe viſus eſt, verùm etiam in eo quod efficaci ejus operâ, ſtudioque ſæpè uſus eſt ad aliarum animarum quæſtum, quem augendo cœleſti Theſauro, amplificandæque divini nominis gloriæ cupidiſſimè faciebat. Cum enim Andreæ Naddini de Bellantibus perditæ hominis nequitiæ ſupremis aliquando THOMAS adeſſet, ſummaque (ut fit) niteretur ope, ut is ad pietatis, quam vivens penitus exuiſſet, ſtudium, extremo illo æternitatis in articulo redire vellet, mortemque Chriſtiano homine dignam obire. Ne irriti, (quod futurum videbatur) ejus conatus evaderent, efficacibus ad Deum precibus eximia virgo perfecit. Quin ipſe Chriſtus Dominus viſendam ſuæ humanitatis imaginem oculis moribundi obtuliſſe dicitur, quo adamantina ejus durities ad ſalutarem pœnitentiæ dolorem molleſceret, atque ab imminenti perpetuæ mortis periculo infelix anima ſeſe eripi pateretur. Nec abſimile ſenſit auxilium THOMAS, cum furias Iacobi Ptolomæi ſibi compeſcendas ſuſceperat, graviſſimâ indignatione commoti erga nonnullos ex Dominicana familia, quod ſorores ipſius Ghinocciam, & Franciſcam inter ſui Ordinis Moniales à Pœnitentia dictas aſſumpſiſſent. Id enim

cœlitus edocta Catharina, efferatum pectus ita Divinâ vi repentè sedavit, ut lupus (quemadmodum ipsa sororibus prædixit) multis jamdudum cædibus rabidus, mansuetiorem in ovem versus fuerit; Et post conscientiam à veteribus noxis expiatam, non modo duas illas sorores à proposito dimovere destiterit, sed & à Matthæo germano suo nomen dari eidem sanctissimo Ordini facilè sit passus. Quæ verò in alienam salutem incumbenti THOMÆ præsto esse consueverat, quid ni operosiori miraculo ad eundem in discrimine positum accurreret? Cum proindè THOMAS in itinere inter Senas, & Vrbem Politianam ab implacabilibus latronibus esset interceptus, jamjam intentatum jugulo gladium intuens, ad Catharinam suam ex animo confugit. Mirum dictu! eodem planè temporis articulo hæc Senis ad sorores conversa, ah, inquit, quam exitiali in discrimine THOMAS versatur; meamque implorat opem, en adsum. Et in domesticum sacrarium è vestigio convolans, Christi è Cruce pendentis pedibus sese advolvit; mutatisque extemplo animis latrones, viri innocentiam veriti, conceptamque immanitatem execrantes, incolumem dimisêre. Quis jam verò THOMÆ merita non admiretur, quem intelligit adeò Catharinæ illi cordi fuisse, quæ nihil non optimum in amoribus habuit? Cum Catharinâ certè consentiens sapientissimum Venetorum judicium, egregiis, & Beati titulo dignis virtutibus THOMAM præstitisse, testatum voluit universæ posteritati; dum paulò post reditum ab Hierosolymitanâ peregrinatione ad cœlestem Hierusalem evocato, marmoreum magnificè tumulum erexit his carminibus honestatum:

obiit an. 1434.... Februarii, ut habetur in libro supra allato Cœnobii Senensis Dominicanorum.

Frigida præclarum claudunt hæc marmora Patrem
Thomam de Senis, mens cujus in alta relucet.
Religionis honos, speculum virtutis in omnes
Semper ubique fuit. Divini semina verbi
Fervidus in populo sparsit gratissimus omni.
Dominici præclara sequens vestigia mente
Intulit æternis post hæc peritura triumphis.

Verùm miraculis in dies illustrius THOMÆ cadaver meruit

meruit inter cætera Beatorum lipſana transferri in arcam aureis ornamentis conſpicuam: dum interim longè pretioſiſſimo Syderum auro animus gaudet. Atque apud ſuperos eò beatiori Divinitatis luce perfunditur, quòd olim comitantibus Riginaldo Florentino, & Bartholomæo Dominici de Senis, principes Europæ provincias luſtrans ex præſcripto Vrbani VI, ſummi Pontificis, Dominicanum Ordinem in priſtinæ nitorem diſciplinæ revocavit. Qualis in eo vis luminis, qui intermortuo iſti Eccleſiæ Soli genuinam ſpeciem reſtituit!

Ex Michaële Pio in Vit. Dominicanorum Illuſtrium lib. 2. vit. 80. (qui tamen, ducto in cognomen nomine Antonii parentis, appellat Thomam de Antoniis: quemadmodum alii ab avo Naccio Caffarino vocant Thomam Naccium) è ſcriptoribus vitæ S. Catharinæ Senenſis, cujus Divæ extant aliquot epiſtolæ ad hunc Fr. Thomam Antonii, & ex Gregorio Lombardellio in Epiſtolâ apologeticâ ad librum Commentariorum de origine Conventus Senarum Fratrum Prædicatorum.

LAVRENTIVS PLACIDVS,

Ordinis Ieſuatorum.

NVlli fortaſſe, quàm LAVRENTIO, nobiliſſima Placidorum familia orto juſtior ab arbore triumphantium crinibus aſſuetâ, & manifeſto fragore, ac ſtrepitu omnem ignis ſocietatem aſpernante appellatio acceſſit; quippe libidinis (quod hoſtium genus longè validiſſimum eſt) ſuique ipſius, ac propriæ infirmitatis victor admotum lateri ſuo ſceleſtum fœdæ cupiditatis incendium, non tacitus tulit, ſed vocalem non minus, quàm ſplendidam caſtitatis ſuæ lucem impuriſſimo, quo petitus eſt igni ſtrenuè, ac fidenter oppoſuit. Laſſum ex itinere Dei ſervum intra penates fortè receperat quædam honeſti alioquin nominis, & integræ

.... Februarii. Plin. lib. 15. c. 30.

tegræ famæ Matrona; sed justo prolixiore erga florentis ætatis, & ingenuæ speciei adolescentem benignitate usa, in suspicionem facilè venit nequaquam simplicis hospitalitatis incensæ studio. Nec vanam hanc fuisse conjecturam consecutus non longa interjecta mora rei exitus docuit: incluso siquidem intra cubiculum LAURENTIO, imminensque suæ castimoniæ periculum sollicito animo reputanti, seque prævisum ad certamen effusis ad Deum precibus adornanti improvisa mulier adest, alto sopore sensus juvenis oppressos existimans, noctéque & solitudine, ætatisque, & formæ, qua pollebat viribus ad extorquendum ab invito flagitium uti cœpit. Sed adversum fœdissimo suo conatui obduratum vigilantis juvenis in castitate propositum offendit, quo accedentem ad se nefariam fœminam non rejecit modò, ac depulit; sed gravissimâ oratione increpitam confudit, adeo, ut impuræ suæ flammæ ardores effusis continuò lachrymis obrueret, seque ad meliorem imposterum erga hospites humanitatem opportunæ pœnitentiæ beneficio refingeret. Sic victor à pugna blandissima quidem, sed non eò minus aspera, minusque difficili discessit, voluptatem tamen, quam corpori negare tanta cum firmitate sustinuerat, cumulatissimam ex ipsa victoriæ reputatione animo percepit. Verùm non tyronis, gregalisque militis virium experimentum tam illustre fuisse dicendum est; sed earum, quas ille sibi diuturno precandi, jejunandi, cœlestia meditandi usu, atque assuetudine paraverat, quibusque in tantum pietatis, & sanctimoniæ culmen evasit, ut qui se adeo strenuum in cœlesti exercitu præliatorem præbuerat, cœlum ipsum pro se pugnans habere meruerit, profusiore erga se quàm pro naturæ mortalis habitu divini auxilii, beneficiorumque munificentia. Sylvam aliquando proximam sui ordinis asceterio ad Massam Trabariam posito adiverat LAURENTIUS, propriis de more humeris ligna inde familiarem in usum asportaturus, cum obvius nescio quis rusticus, pravo instigante genio subdolam præ se ferens humanitatem, At, inquit, durior ista conditio, quam, amice,

Cænobium à S. Leonardo dictum.

amice, ſubis, mirum quantum meum emollivit animum, ut te viliſſimo ſervitio ſubducam. Quamobrem hunc aſellum tibi ultro donatum volo, qui cum lignatum iveris, vicariam operam in onere deferendo ſubeat. Tunc PLACIDVS nullam ultroneæ ruſtici benignitati fraudem ſubeſſe ratus, religioſorum ſuorum, ipſiusque Dei nomine gratiis homini humaniſſimè actis, de re totâ Cœnobiarcham certiorem redditurus, aſellum trahens domum revertitur. Peſſimus interim Sycophanta verum jumenti dominum concitato greſſu adit, & verbis id Monachorum genus execrantibus, quaſi ſua relinquerent, ut raperent aliena, LAVRENTIVM magno cum clamore ablati ſibi per vim jumenti reum facit, nactusque hominem ingenio ad iracundiam præcipiti ita efferavit, ut is in ſceleris authorem nimis temerè creditum, nihilque tale metuentem impetu continuo facto, nullis verbis, ut fit, agendum ſibi ratus, ſecurim continuo, quam in manu habebat expediverit, cervicemque innocentis elatâ in ictum dexterâ appetierit. Ad improviſum diſcrimen PLACIDVS IESVM, quem frequentius in ore, ſemper in corde habuit, inclamans, nempe ſalutaris Nominis opem illico præſentem ſenſit: nam brachium cædem intentans correptis ſubito rigore nervis reſtitit, nulloſque ultra expediri valuit ad motus. Ne tamen, nullo non dignus ſupplicio, improbus calumniator impunitus abiret, immiſſa cœlitus filio percuſſoris in oculos caligine, quem hic fuſtem in tergus LAVRENTII properè attulerat, ad ulciſcendam ruſtici temeritatem juſtiſſimo errore adhibuit, exoſſemque penè, & exanimum improbum Sycophantam effecit. Sic falſiloquus ille planè, probeque dedolatus ſerò tandem intellexit, aut verius ſenſit, ſe malè dolum dolaſſe. Atque hac etiam ratione PLACIDVS ductum à lauro nomen, non uno lethali à fulmine innoxius, mirè probavit. Is interim, cujus obſtupuerat dextera, LAVRENTII innocentiâ tot jam ineluctabilibus argumentis dilucidè perſpectâ, ad viri Religioſiſſimi genua ſe provolvit, ab illo nempe, quem reum fecerat, abſolvi

 orans;

orans; & ſtatim, quæ erat PLACIDI clementia, nullo negotio exoravit. Precibus enim ad Deum fuſis, non modo parentis brachium, ſed nati etiam oculos ad priſtinam ſanitatem LAVRENTIVS revocavit. Quid quod adoleſcenti filio ſaniorem, ſanctioremque mentis lucem cœlitus obtinuit, quâ vaniſſimam mundi ſpeciem certiùs deprehendens, ad tutam, ſolidamque religioſæ vitæ felicitatem in ipſo Ieſuatorum Ordine provolavit. Hoc admirabile ſuperûm patrocinium non ſolùm innocentiâ indignis inſidiis circumventâ ſibi comparavit LAVRENTIVS, ſed etiam cætero omni Chriſtianæ Philoſophiæ inſtrumento, cui mirum quàm efficax ad promerendam cœleſtem indulgentiam vis eſt. Sui ipſius modeſtior deſpectus, veſtium vilitas ambitioſius quæſita, paratiſſima in parendo ſedulitas, perpetuus jejunandi tenor, linguæ ab omni verborum, Mundum ſonantium, vanitate cuſtodia, mortalium immortaliumque oculos in ſui admirationem amoremque rapiebant. Sed illa præ cæteris Charitas ſe ſuſpiciendam exhibuit, qua omni morborum genere decumbentibus deſervire geſtiebat, amiciſſimis verbis, omnique ope eo præſertim languentium generi adeſſe contendens, à quibus, vel contagionis ſuſpicio, vel morbi fœditas cæteros omnes averteret. Quòd ſi in ægros incideret, quos ingenii aſperitas, morbique violentia ad faſtidiendum famulantis obſequium impatientiùs provocaret, non modò nihil inde perturbari, aut retardari, ſed etiam atque etiam excitari LAVRENTII Charitas videbatur, ut ingeminaret obſequia, atque animum in omnes verſaret gratiores artes, ingratos perquàm ſuaviter demulcendi. Atque hoc præcipuè nomine viſa eſt Divina beneficentia vicem rependens, PLACIDVM ipſum ſupremo morbo laborantem, mirum in modum recreare, inſolitæque lenimine dulcedinis moleſtiam omnem abſtergere. Primo enim quale ſolamen fuit, cor adoleſcentis, quem ſibi ægrotanti famulum cœnobii moderator deſtinaverat, vaticinâ mente pervadere (ut hinc etiam præſciam laurum ejus nomini debitam intelligas) atque ubi meditantem agnovit

agnovit repentinum à Iesuaticâ familiâ abscessum, efficaci monitu succendere ad constantem observantiam austerioris illius disciplinæ, cujus tædio jam propè defecerat! Mox ingravescente morbo animus in propinquam beatitatem jam erectus, incredibilis jucunditatis argumenta inter fratrum suorum collocutiones prodebat. Vbi tandem decretoria immortalitatis hora advenit, LAVRENTIVS in genua provolutus, manibus ad pectus decussatis, renidentique vultu, ac si per amabilem illam Patronam sibi conspicuam haberet, cujus IN SINV COELO RENASCI SENENSES gaudent, ô, inquit, *clementissima Parens, adest ecce filius tuus, adest.* Quæ novissima LAVRENTII vox, novissimumque mortalium ejus operum fuit: stetitque vel post fatum genibus flexis immotus. Diceres, animam triumphantis in morem abeuntem, & gloriosissimè planè Laureatam, ab ipso sui cadavere adorari. Brachia postmodum nullâ vi à Crucis forma divelli potuêre, quasi Crucem ipsam devicti à LAVRENTIO Orbis, atque Orci trophæum æternare contenderent. Denique decumbentis cubiculum suavissimus odor triduo afflavit, in quem videlicet floridæ virtutes omnes, sed Charitatis præsertim rosæ, ac pudicitiæ lilia conspirarunt.

Ex Paulo Morigiâ in histor. Iesuatorum sanctimoniâ illustrium lib. 2. cap. 30.

MARTIVS.

B. TOBIA PTOLEMÆA,

Vidua, Tertii Ordinis S. Francisci.

I. *Martii.*

QVantum rectè instituentibus parentibus beneficium liberi debetis? quàm rursus uberem à rectè institutis liberis beneficiorum vestrorum fructum parentes, quique alii parentum loco habemini, plerumque recipitis! sed commeantis ultrò, citroque hujusmodi gratiæ longè illustrissimum inter TOBIAM Ptolemæam, & Bernardinum Albizeschium exemplum est; si enim celebris hujus mulieris opera in demerendo Bernardino fuit, quod illum ad omnem pietatem, sanctitatemque egregiâ educatione formaverit; nihilo obscurior gratissimi alumni erga suam magistram memoria fuisse dicitur, cum plurimis aliis, quibus ab eo affecta est, eximiis muneribus; tum vero famæ, gloriæque merito; quando nomen TOBIÆ, quâ ex parte fulgentissimum est, Bernardinum, ejusque inclytas virtutes, & sanctimoniam authores agnoscit. Matrem habuit TOBIA Dianam Auvedutam lectissimam fœminam, quæ post vitam per omnium virtutum exempla sanctissimè traductam, mortemque feliciter in Christo obitam ad annum salutis millesimum quadringentesimum Beatæ titulum à venerantis populi pietate traditur meruisse. Bernardino Consobrino suo (quippe ex Nera Dianæ sorore progenito) triginta amplius annos natu grandior fuit. Cumque hunc utroque parente antè pubertatem orbari contigisset, omnem educandi pueri curam, pietateque, & bonis artibus instituendi suscepit. Nec leve, aut inglorium ejus administrandæ provinciæ negocium fuit, quando puerilis animus mirum in modum ab omni fœminarum consuetudine abhorrebat, prorsus ad Augustini præscriptum, nullo inter propinquas, alienasque discri-

discrimine. Ac ne ipsi quidem TOBIÆ sese tractandum permisisset, nisi severissimo illa castitatis, & religiosæ vitæ proposito alumni sui familiaritatem redemisset, cum post elatum conjugem Guidonem Ptolemæum, ulteriores aspernata nuptias, omnemque sæculi vanitatem pertæsa, Tertio B. Francisci Ordini nomen dedit. Quî enim felicius Crucifixum Amorem suum, quàm in saucio Francisco planè ad vivum expressum sequi, ac amplecti liceret? Proindè quæ voluptati subtrahebat, impendens virtuti, pauper ipsa miseriam pauperum sublevare, suisque jejuniis alienam reficere famem gaudebat. Cæterùm sacris precibus, Divinisque commentationibus intenta, nec nisi cœlestia pectore, & lingua spirans, quid mirum si è cœlo superos, è terris mortalem Angelum Bernardinum ad suam familiaritatem pertraxerit? Eamque tam intimam, ut uni TOBIÆ Amicam illam unanimem suam exploratam esse voluerit. Quam ubi virginum Virginem probè intellexit esse TOBIA, in alumni sui amplexus ruens, Age, inquit, felicissime amantium, & illâ quam potes maximè Puellâ te dignum finge, quam vel cœlo posthabito Deus ipse unicè in amoribus habuit. Vt vicem illa tibi in amore rependat, validè teneras preces ingemina, fervidos affectus misce, in lachrymas, ac suspiria cor effunde, nihil denique prætermitte, quo tibi Reginam valeas demereri altissimam maximamque. Oblatis illa rosis, ac liliis mirum quantum oblectatur, sed verecundiæ purpurâ, & castimoniæ candore coloratis. Ista si munera integerrimæ Virgini crebriùs offeras, oculis in te clementer inflexis, longissimè licet imparem amantem beabit illa, redamando, ne dubita, beabit. His aliisque monitis sua sponte satis æstuantem vehementiùs incendens, obtinuit, ut extimas, intimasque, acerrimas licet, profanorum amorum insidias eludens, immunis ab omni cogitationis impuræ labe, Bernardini animus perennaret. Quod triumphale decus à cœlesti Patrona sibi concessum ille natu jam grandior TOBIÆ aperuit, cùm in lethali morbo, post famulatum ægris publica lue languentibus præstitum, se comparabat ad

S. Leo Serm. 2. de jejun. decimi mensis.

ſupremum vitæ diſcrimen : quod ut evaderet ſecundum Dei, cœlitumque auxilia ſedulæ hujus mulieris curæ beneficium fuit. Præluxerat ipſa charitatis exemplar alumno ſuo, & hoſpitio præfecta fœminarum peregrinantium, quas fortè à ſuſcepto in Vrbem ad capeſſenda ſæcularis anni piacula itinere graſſantis ea tempeſtate per Italiam peſtilentiæ vis averterat, Seniſque detinuerat, infimis quibuſque miniſteriis laborum, ac vitæ prodiga detinebatur aſſiduè : dum interim Bernardinus perdius & ipſe, ac pernox miſerorum noſocomium ſtrenuè procurabat. Atque remittente morbi violentiâ à diuturnis incommodis ambo reſpiraturi videbantur : cum viſum ſuperis eſt, novam ſuppeditare materiem Alumni patientiæ, ac matronæ charitati; illum quippe graviſſimi morbi moleſtiâ, doloribuſque penè confecit, hanc autem decumbenti ad amantiſſimè deſerviendum excivit. Et quidem TOBIÆ pietas exaggeratâ animi magnitudine, ſuperans & creſcens malis, quatuor integros menſes conſolatoriam manum, ac linguam neceſſario languentis commilitonis obſequio commodavit. Tam palmari beneficentiæ gratiſſimus, & jam non ſanitatem minus, quàm ſanctitatem acceptam illi referens Bernardinus, vel ubi ad Franciſci ſolitudinem tranſivit, merito TOBIÆ domum frequentare non deſtitit. Iſta enimverò domus celeberrimo illuſtrari meruit oraculo, quo (dum de more matrem hanc ſuam inviſeret) objicienti aliquando conſanguineo, per tam humile vitæ genus ſuſceptum, Albizeſchiæ familiæ, gloriæque ſpes jam eſſe omnes enectas, divinitus afflatus ille reſpondit, neminem ex univerſâ Senenſi nobilitate eum familiæ, ac Patriæ ſplendorem unquam attuliſſe, quem per eam ipſam obſcurioris vitæ rationem allaturus ipſe poſtmodum eſſet. Inſigne documentum, & decantatas parentum querelas in deſpicantes Mundum filios ſuo ipſo affectatæ gloriæ telo jugulans. Quid quòd vel è regionibus diſſitis TOBIÆ Bernardinus non adeſſe non poterat? Dum enim illa poſt vitam per omnes ſanctimoniæ numeros mirè probatam, devexâ jam ætate ſupremum ſpiritum beatæ

beatæ immortalitati reddebat, Mediolani ad populum per dies cineralibus solemnibus sacros Bernardinus orans, interruptis vocibus restitit extemplò immotus, & levi quadam tristitiæ salebrâ succussam exhibens frontem, abreptum videlicet animum prodidit ad anxium spectaculum. Mox verò prolixiori quadam hilaritate vultum serenante sibi redditus, TOBIAM parentem suam ad superos eo ipso momento temporis evolasse nunciavit. Perbrevis quidem sancti oratoris narratio, sed quam vel ipse judex Achilles omnibus Homeri sui præconiis præferat. Quid plura? Egregius laudator TOBIAM verissimè in cœlum extulit.

Anno 1437.

E Scriptoribus vitæ S. Bernardini, ex Marco Ulyssippon. lib. 2. Chronic. Minor. cap. 3. & ex Martyrol. Francisc.

HONORATA VRSINA, SARACENA.

XVI. Martii.

VRsinam Rosam, Romanæ nobilitatis clarissimum decus, tunc potissimum in solum suum transferri gavisæ sunt Senæ, cum Danesius Hectoris oppidi Mugnani Dynastæ filius, vitâ functo Philippo Maria Vicecomite Mediolani Duce, cujus ductu diu militaverat, post bellicos tumultus felicem quietem meditans, in patriam Senas ipsas elegit. Sed longè nobilius auctarium ille urbi secum intulit, prolem suam HONORATAM inclyti pudoris, & cœlestis venustatis verissimam Rosam, in veris sinu, ipso rosarum mense Majo in lucem editam. Quod si nascenti Rosæ universa natura honores defert, dum illi Sol aureas crinium infulas, Aurora roscidas gemmas, blandiens aura ancillatrices illecebras, puram mollitiem aqua, purpureos ignis ardores, tellus denique in tanti floris custodiam ingenium exacuens, satellitium aculeatum suppeditant: faustis honoribus VRSINÆ quoque ortum fuisse cumulatum, ipsum

Honorata mater Helena de Becharia inter Ticinenses prænobilis. 19. Maji 1435.

HONO-

HONORATÆ nomen argumento eſt. Illud quippe de ſententiâ Philippi Mariæ Ducis hac unice de cauſâ infanti eſt inditum, quòd dum ſacri fontis undis ablui pararetur, unâ cum ipſo Mediolanenſi Principe, clariores quique copiarum ductores, & flos univerſæ nobilitatis ad Stradellam Ticinenſis ditionis pagum, (ubi tunc temporis Daneſius agebat) cohoneſtandæ celebritatis gratiâ confluxiſſent. Multò tamen auguſtiùs terræ, cœlique obſequia ætatis decurſu ſibi conciliavit in ſummâ roſei planè oris, aureique capillamenti pulchritudine. virtus HONORATÆ ſpectatiſſima; adeo ut in muliere hac excolendâ Divini Numinis gratia cum naturâ conſpiraſſe videretur: Chriſti jugo mirum purpureæ cujuſdam lineæ collo illius ingenitæ decorem pretioſiùs ingeminante. Dixiſſes proceritatem illam, qua vix tres ſupra decem annos nata grandiores inter fœminas eminebat, umbram eſſe animi tantum ſe ſupra cæteros extollentis, quantum regina florum hortenſi populo præſtat. Quo præſertim tempore virginitati ſtuduit, eâ fuit oculorum continentiâ, ut celebri per Vrbem famâ nonniſi in cœlum, aut in Divinum ſolem ſub Euchariſticâ nube latentem illos attollere diceretur: ipſum veris oculum roſam ad vivum referens, qui dum adhuc tenerior pubeſcit, faſtigiatis vaginis uſquequaque obvolutus, è ſuperiore, quâ cœlum reſpicit, parte, tantummodò patêre gaudet. Id unum cariorem in arrham Iacobum Saracenum juvenem genere, ac moribus æquè conſpicuum, illi deſtinatum in ſponſum, exoratum ſtatim voluit, ut videlicet feſtis diebus, quos ut plurimum fœminæ vel in ſpectaculis, vel ipſæ ſpectaculum agere gaudent, vacare liceret piorum voluminum lectioni, ſacris precibus, excipiendiſque attentiùs Numinis vocibus, veris illis aurium ornamentis: tunc ſibi maximè indulgere rata, cum ſoli Deo, atque adeò huic omni ope arridere contendens, quò impenſiùs animi decora in pretio, eò deſpicatiùs corporis delicias, atque ornatus habebat. Eleonoram Luſitanam, quæ Frederico Tertio Cæſari Senis illam opperienti nu-

Tertull. contra Gnoſticos cap. 3.

Eleonora Senis Federico nubentis hoc ad portam Vrbis Camolliam extat in marmoreâ columna monumentum.

ti nuptura devenerat, selectæ quadringentæ nobiles fœminæ, ut splendidioribus obsequiis exciperent, sese auro gemmisque conspicuas præstare, & omni arte crinium elegantiam, orisque decorem de more nitebantur excolere. Sola inter illas HONORATA superbum cultum planè neglexit: rosa nempè adventitium ornatum respuit, & ingenuam ejus formositatem industrius artis fucus inficere potest, perficere non potest. Et habitu quidem incessit adeo vulgari, ut matronæ toti comitatui propositæ id illi amariùs exprobraverint. Sed obloquentium linguas compressit, & ad palinodiam canendam adegit hoc præcipuè sapientissimo effato: Si modestâ comitate, & virtutum nobiliorum pompâ enitescere certaremus, in eam dubio procul æstimationem, admirationemque Senensis fœminæ advenas principes induceremus, quam cultus illicia, divitiæque magnis aliis in urbibus æquales, aut etiam majores ab iis videri solitæ sibi comparare non poterunt. Et verò rem tetigit. Equites enim, ac Dynastæ, qui plurimi ex tota Italia ad obsequendum sponsis Cæsareis confluxerant, HONORATÆ vel se ita negligentis dotes summo præ cæteris in pretio habuere: adeo ut inter illos nobilissimus quidam asserere non dubitaverit, omnium, quas ad eam diem vidisset, fœminarum, VRSINAM se judice præstantissimam esse, sibique impendiò feliciorem videri Iacobum Saracenum tantâ uxore, quàm Alphonsum Aragonium Regem suo amplissimæ ditionis imperio. Erat porrò qui talia dixit non leviter tactus amatoriâ erga nobilem alteram Senensem fœminam vesaniâ; quem quidem impotentis animi impetum datâ occasione aculeatis corripientium dictorum spinis in splendido quodam epulo desigere Rosa nostra nòn timuit. Sed heroica virtus vel ab hostibus vulneratis laudes exprimit. At etiam si cæteri quippe silerent, HONORATA certè laudes suas in honestissima decora celebranda semper impendit. Vndè cum aliquando carmina in ejus encomium à celebri poëta Bernardo Ilicino rythmis Italicis conscri-

Cæsarem Federicum III. Imperatorem, & Leonoram sponsam, Portugalliæ Regis filiam, hoc se primum salutavisse loco, lætisque inter sese consultasse auspiciis, marmoreum posteris indicat monumentum. Anno Domini 1451. 7. Kal. Martias.

Nec vestimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri magnitudo tantum valet ad mulieris laudem, quantum modestia in rebus, ac studium honestè decoréque vivendi. Aristot. lib. 2. OEcon. cap. 1.

pta recitari audiſſet; Hæc, inquit, poëſis officioſis mendaciis ſcatet, ſi eam partem excipias, in qua me honeſtatis ſtudioſam referunt. Quod tamen tempus iis audiendis ſibi videretur vanè triviſſe, accerſito illico conſcientiæ ſuæ arbitro, ſacrâ confeſſione ejuſmodi labem expiandam duxit: in more namque poſitum habebat, ne per exiguum quidem temporis ſpatium inquinatam levi quamvis criminis macula animam pati, contra lachrymabilem quorundam non minus peccandi licentiam, quàm in ſordibus peccatorum conſcientiæ ſecuritatem. Sed multò antea animum tam prolixè in honeſtatis effuſum ſtudia ſententiis ſapientiſſimis demirandum dederat. Nam ubi primùm de ipſius nuptiis agi cœptum fuit, juſſa à Matre, quem è propoſitis pluribus nobiliſſimis juvenibus illam ambientibus, in ſponſum ſibi vellet, eligeret, poſt longum, verecundumque ſilentium reſpondit, ſi ea eſſet Dei voluntas, ut nuberet, illum ſibi eſſe ſponſum in votis, qui honeſtis moribus magis, quàm divitiis polleret. Quam primò genuit infantem, viſum eſt conſanguineis, de nomine Mediolanenſis Principis in Daneſii familiam valdè propenſæ, nuncupare Blancam. Id ubi HONORATA reſcivit, liberè profeſſa eſt, ejuſmodi nomen aliâ quacumque de cauſa ingratum ſibi accidere: indè tamen placere, quod fore ſperaret, ut à nomine à candore ducto ad creſcentis puellæ aures crebrius accidente, moribus diſſentire erubeſceret. Et fortunavit cœlum pia parentis vota: hæc enim illa eſt Blanca Saracena non candidis minus animi, quàm eximiis corporis dotibus ſuo ſæculo uſque adeo inclyta, ut vel ab exteris regionibus Magni Principes illius imaginem ſtudioſè conquirerent. Magnificentiſſimo cuidam convivio cum HONORATA non adeſſe non poſſet, exactâ jam, ut moris eſt, choreâ, rogata ut ſuam ferret ſententiam, quibuſnam prima laus deberetur, dixit, de viris nihil ſibi perſpectum eſſe, cum in neminem præterquam in ſponſum ſuum oculos defixiſſet: quod verò ſpectaret ad mulieres, illam ſibi omnino laude digniſſimam videri, quæ oculorum præſertim, ac linguæ continentia reliquis omnibus

nibus præstitisset, ad illecebras trahi se, non ire demonstrans. Quæ verba efficacissimo dicentis exemplo firmata, tantum in aliarum, quæ aderant animo ponderis habuere, ut per ejus diei reliquum omnem saltationis, verborumque levitatem penitus inhibuerint. Quid inde mirum si Rosæ tam spectabilis suavissimus odor ad se adeo superos rapuit, ut illam præmaturè carpere festinaverint? Prodiderat jam HONORATA eam animi magnitudinem, quæ iratâ fortunâ frueretur, inter graviora quamplura Iacobi conjugis discrimina ex intestinis Civium dissidiis, atque inter subita funera Heleñæ matris, sororumque Constantiæ, ac Hieronymæ lethifera aëris intemperie correptarum. Et quoniam in Vrsinæ Hieronymæ mentionem incidimus, nequaquam alienum fuerit, virum quoque ejus Burghesium de Burghesiis commemorare, cujus ex altero matrimonio, quod illi amissâ Hieronymâ cum Ioanna Bandinea fuit, editi sunt duo Romani Pontifices, Paulus Quintus faustissimi nominis Princeps, & SEPTIMVS ALEXANDER, quo adhuc superstite, florenteque Catholica Ecclesia maximo suo cum bono perfruitur. Quasi verò in nostros hosce dies eam Astra felicitatem distulerint, ut per Vrsinum sanguinem utriusque hujus Pontificis verè Maximi familiæ jungerentur. Siquidem anno MDCLVIII, Mariam Virginiam ex Paulo genitam Marci Antonii Burghesii, & Camillæ Vrsinæ Sulmonensium Principum prole, duxit in sponsam Augustinus Chisius Augusti ALEXANDRI fratris filius: Burghesiâ tandem Aquilâ suo pro sole amantes unicè oculos defigente in Chisium Sydus. Sed ut ad HONORATAM regrediamur (si tamen ab illa discessimus, Camillam Principem Vrsinam nominantes, quæ nostro huic sæculo celeberrimas priscæ HONORATÆ virtutes in sese ad vivum expressas desiderari non patitur) ubi in contextu tot rerum asperarum expeditiorem animum, & cor in muliebri pectore prodidit virili sublimius, nondum tertium supra vigesimum ætatis suæ annum attingens mortalem vitam cum immortali commutavit. Rosa videlicet ut eximii, ita

Augustinus Chisius & Maria Virginia Burghesia Farnesii Principes.

Camilla Vrsina Marci Antonii Burghesii Sulmonensis Principis uxor.

breviſſimè niteſcentis decôris eſt. Sanè in cœleſtes hortos illam eſſe translatam, dubitare non ſinit vita ab omni prorſus graviori labe immunis, ad ſupremum uſque ſpiritum ducta; quemadmodum religioſiſſimus vir è Dominicana familia Matthæus Meſſanenſis, qui à confeſſionibus illi erat, interpoſitâ ſacramenti fide teſtatus eſt: ſubdens ſe pro comperto habere, nihil vel levioris noxæ fœminæ ſanctiſſimæ ſuperfuiſſe purgantibus ignibus expiandum. Prægustare cœleſtia viſa eſt HONORATA paucos ante dies, quàm in ſupremum morbum incideret, dum animo divinitus illuſtrato, & inſolitâ jucunditate delibuto prædixit, brevi Patriam ab hoſtilibus armis eſſe penitus vindicandam, quibus illam exagitaverat Comes Iacobus Piccininus: ſtare pro æquiori Senarum ſuarum causâ cœleſtem Patronam, cujus decreto Cardinalis Piccolomineus earundem Antiſtes mirum in modum Patriæ mox profuturus, non ſine gravibus Iacobo imminentibus pœnis: felicitatem tamen tam optatam ex immortalitatis ſede à ſe ipſa proſpectum iri. Talia vaticinata eſt HONORATA, inſpirante, ut credebatur, ipſâ Virginum Maximâ, cujus cultui ſemper ſe addictiſſimam præſtitit. Atque ut poſt obitum quoque peramabili Dominæ corpore non ſecus, ac animo propior eſſet, ante illius ab Angelo ſalutatæ aram Auguſtiniano in templo ſepulchrum ſibi ſtatui juſſit. Cui enim accommodatiùs vivens morienſve honeſtatis hæc Roſa commendaretur, quàm Horto concluſo *. Quæ verò prædixerat comprobare cœpit eventus anno circiter elapſo ab ipſius obitu. Nam è vivis erepto ſummo Pontifici Caliſto Tertio, ſuffectus Cardinalis Senenſis, ſub auſpicato Pii II nomine, inter cætera veriſſimæ in Patriam pietatis argumenta compreſſis tumultibus, nobilium cum plebe animos læto fœdere compoſuit. Sera quidem, ſed gravis Piccininum Comitem pœna ſequuta eſt. Nam juſſu Ferdinandi Primi Neapolitani Regis, licet jam gêner Franciſci Primi Mediolanenſium Ducis eſſet, in carcerem Neapoli conjectus eſt, quod non illius modò Regni, ſed univer-

Iacobus Piccininus adverſus Senenſes ſigna convertit, ut eorum occupata Rep. nobilis Vrbis tyrannus fieret. Etiam ſeſe Ducem Senarum appellari ſinebat.

Pius II. lib. 1. Commentariorum.

* *Cantic.* 4.

Æneas Sylvius Cardin. Piccolomineus electus in Pontificem 19. Auguſti 1458. *Iacobus Druſianam Sfortiam duxerat an.* 1463.

universæ Italiæ tranquillitatem novis turbis concutiendam moliri crederetur. Porrò post octodecim captivitatis dies cum excitus populi plausibus, cujusdam victoriæ nuncio sub arcem acclamantis, altiorem cubiculi fenestram ope Galeatii Pandoni unà commorantis conscendisset, vestigio ipsum per imprudentiam repente fallente delapsus, effractâ coxendice lethalem in morbum incidit. Validiora quidem fomenta Ferdinandus hostem oblitus adhiberi jussit. *Deus, cui corda hominum aperta sunt* (sic testatum voluit Rex ipse literis ad Senenses datis) *testis est, nos casum ejus gravissimè tulisse, ac ferre, tametsi ipse in nos, resque nostras nihil non contrarium, perniciosumque molitus fuisset. Medicos statim adhibuimus, qui salutis ejus eam curam haberent, quam in filii nostri salute eos habere vellemus. Verum morbi contumaciâ omnem medicorum diligentiam eludente, Iacobus* 16 *Iulii inter acerbissimos dolores extinctus est.* Atque hoc tandem infortunium illum abripuit, qui se *Fortunæ Hominem* buccis concrepantibus nominabat*. At Ferdinandus Senensem felicitatem, ante quàm illam hostis tam infesti metu eximeret regali magnificentia in Pii gratiam cumulaverat, Antonio Piccolomineo, Laudomiæ ejusdem Pontificis sororis filio, Mariam ex se genitam despondens, amplissimis verò additis titulis, ac ditionibus; ipsos etiam Antonii germanos regali Aragoniorum cognomento dignatus, ac stemmate. Ex quibus ducta perenniter soboles Regium spirans ad hæc usque tempora Neapolim, ac Senas illustrat, in A S C A N I O præsertim Senensi Archiepiscopo, pietatis, ac Sapientiæ laude clarissimo, & in O C T A V I O Romani Imperii Principe, qui per singulos quosque militiæ gradus ad summum Cæsarei exercitus regimen felicissimè evectus, nihil planè fortunæ debuit, omnia virtuti. Non tamen sola hæc tantarum rerum catastrophe H O N O R A T A M jam pridem vitâ functam nobilitavit, sed etiam inter migrandum ad superos illustris fuit, inusitatam adstantium animis jucunditatem injiciendo, illum præsertim, qui sibi à sacris confes-

Ratio istæ captivitatis, ac necis Piccinini liquet ex literis super utrâque à Rege ad Remp. Senensem datis Neapoli 24 Iunii & 16 Iulii anno 1465. *quibus respondens Resp. hæc habet:* Sicut Comes Iacobus Vestræ Majestati excidium parabat, ita contra nostram Remp. moliri arbitrabamur, &c.

* *Pius* II. *lib.* 2. *commentar.*

Ascanius, & Octavius nepotes Victoriæ Piccolominea de Aragona, cujus proavus Iacobus germanus Antonii in generum à Ferdinando Rege assumpti.

confeſſionibus erat, incredibili dulcedine cœlitus inſtillatâ perfundens. Ita Roſa ex ipſo raſtrati vaſis funebri lecto ſuavem exhalat animam, dum ad aliorum liquidiſſimam voluptatem in odora ſtillicidia diſtabeſcit, ipſumque illius cadaver poſt buſtum dulcem ſpirat afflatum. Quin ut liqueret, noſtram hanc Roſam ipſâ morte conſecutam eſſe nitorem perpetui veris, corpori prægravis morbi violentiâ tabefacto abiens animus vividum quemdam, pellucidumque candorem non ſine ingenti omnium admiratione reliquit, illi perſimilem, quo alba, ac levia marmora puri Solis radiis icta oculos everberant. Non poterat proindè non odoratior videri hæc Roſa ſupremo die tam ſerenum arridente lecta. Meritò igitur tot vitæ, mortiſque decora contemplati ſapientiſſimi cives, his verbis æternum gloriæ monumentum HONORATÆ tumulo ſtatuendum cenſuerunt:

Roſa odoratior cum legitur ſerenis diebus. Plin. lib. 21. c. 7.

S. Auguſtini templo in elegantiorem formam redacto, extat Honoratæ tumulus ad januam maximam à parte ingredientibus dexterâ.

HONORATA VRSINA,

Puellarum decus,

Matronarum ſplendor, Conjugum honos,

Pudicitiæ jubar, ſanctimoniæ Templum,

Virtutum ac formæ cumulus,

Hoc brevi conditur ſacro.

Vixit

Ann. XXII. Menſ. IX. di. XXVI.

Ex vita in veteri codice bibliotheca Dom. Belliſarii Bulgarini, conſcriptâ anno circiter tertio decimo ab HONORATÆ *obitu.*

B. AN-

B. ANDREAS GALLERANVS.

XIX. *Martii.*

QVod inventu perrarum eſt, ac perdifficile, hoc in ANDREA GALLERANO miramur, & gratulamur, ut generis excelſitas demiſſionem, rerum affluentia contemptum, domeſtica felicitas miſericordiam, armorum ferocia manſuetudinem, vitæ licentia integritatem pepererit. Ferox, & cruentum divinæ gloriæ vindicandæ ſtudium mitiſſimæ, utiliſſimæque fuit exordium innocentiæ. Rixabatur aliquando ANDREAS cum cive ſuo, cujus nobilitas impiè contumeliosam in Deum, Divosque linguam illuſtrius infamabat. Hunc ergo recentem Divorum contemptorem Mezentium infandis ex furore verbis Deo, ac Deiparæ injurioſum, adacto in pectus pugione, vindicem Phinees ardorem æmulatus, contrucidat. Tum facti audacis conſcius, judiciariam ut quæſtionem declinet, in Villæ maritimæ remotiſſimum ſeceſſum ſeſe abdit. Dein à diuturna latebra peractæ cædis memoriam exoleviſſe ratus ad urbem remeabat: cum improviſa circumſiſtit ſagax hominum venatrix, lictorum cohors. Sed repentino miraculo ex aquæ molariæ canali ſuborta nubes ANDREAM equitem cum equo circumſeptum, & ad tria paſſuum millia procul avectum ab lictorum oculis, manibusque proripuit. Quodque mirabilius eſt, à ſe ipſo longius ANDREAS eâdem nube abreptus, ad ſanctioris vitæ conſuetudinem ſe recepit. Quare in urbem redit, ſerenitatem, & lucem à nube conſecutus. Nam in ſubſidium miſerorum profuſiſſimus, & operâ, & opibus aſſiduam ferebat opem uſque ad domeſticorum intolerantiam, mox verò admirationem, & plauſum: cum ab hiſce pietatis officiis domum ad multam noctem redeunti ſponte ſuâ fores occluſæ patuerunt: cum è farinæ ſextario, & vini dolio, ex inopi videlicet penu diuturnæ annonæ laxitatem, ubertatemque depromeret egenis: cum ſiccus inter imbres, inter hyberna frigora, & æſtivos æſtus illæſus liberalem mendiciſſimis ſtipem circum-

Numer. 25.

cumferret: cum univerſitatis Imperatorem vulgaris habitu hoſpitis domi excepit: cum denique miſericordiæ Noſocomium auro ſuo, charitatis è venis eruto, & ad redimendas confluentis mortalitatis miſerias flato, condidit: ſeque ipſum, ſociis adlectis compluribus, ravi coloris obſoletâ veſte conſimilibus, & beneficâ voluntate conſpirantibus, ingenuæ hoſpitum ſervituti mancipavit. Cæterum qui piè proſpexit alienis opportunitatibus, non connivebat in ſuis. Itaque miſericordiæ negotium divinæ contemplationis otio temperare: in egentibus famem epulis expletam crebris in ſe jejuniis alere: pio corporis cruciatu animo indulgere: demiſſione grandeſcere: tolerantis injuriis benevolentiam fœnerare. Nulla tamen à virtute commendatior ANDREAS, quàm ab eximio in Deiparam ſtudio, utpotè in Parentem Senarum ſtudioſiſſimam. Hæc ſæpius mortalem dum inviſit, lacteum ad immortalitatem iter crebro virginali veſtigio præſignavit: donec cœlo maturum in medio vitæ curſu quinquagenarium in Divi Chriſtophori templo ejus propediem ingrediendæ viæ admonuit, quam ſuo ipſa candore præparaſſet: ſupremamque vitæ congruenter futuram Palmarum Dominicam diem ad cœleſtem palmam graſſaturo. Itaque domum reverſus febre lethifera calêre cœpit, quam deſiderium vitæ immortalis accendit. Sed illud miraculo dignum, quia rariſſimum; Pluvii de cœlo flores, & plurimi, & odoratiſſimè vivis extincti faciem coloribus animarunt. Anima quippe, ac vita faciei floridus color eſt. Credibile præterea eſt flores cœlum ſuos depoſuiſſe in bonam ſancti cadaveris terram, ut formoſiùs vernarent. Quin etiam facies eâdem repentinâ ſerenitate præfulſit. Par erat nimirum conſerenare, dum floribus plueret. Iam quæ mirè geſſit inexputabilia etiam extinctus, complectantur illi, qui ſperant longiſſimam Iliadem breviſſimâ membranâ, quæ nuce includeretur, quæ nuceus eſſet nucleus, audaciâ feliciter inſtauratâ poſſe concludi.

Noſocomium miſericordiæ à B. Andrea Senis erectum, ubi nunc gravioribus literarum ſtudiis publicum extat Lyceum.

Anno 1251.

Ex Raymundo de Barbis in vita ipſius B. Andreæ, & ex Iugurtha Tomaſio lib. 10. hiſt. Senenſ.

B. AM-

B. AMBROSIVS SANSEDONIVS,

Ordinis Prædicatorum.

XX. *Martii.*

TVæ tu vates præstantiæ, cum fari nec dum per ætatem posses, AMBROSI SANSEDONI, religiosum futuræ vitæ institutum, totius nisu corporis facundus, tibi prædicebas. Nam è sinu, colloque nutricis pendulus religiosis duntaxat obviis blandè arridebas, reverenter adnutabas, & brachiola velut in eorum Ordinis complexum exporrigebas. Quin & pios libenter libellos tractabas: & quos eruditis nondum oculis, avidis interim manibus legebas. Denique distorta, & in deformem quodammodo globum contracta membra informosi corporis filum ante Divorum reliquias infans explicuisti, ut pulcherrimus decenter animus habitaret. Nec mora sanctitati, quæ primulam, & rudem informavit ætatem, infantilibus in annis fari properavit. Institutam Virgini Maximæ psalmodiam septennis memoriter pronuntiare cœpit, ut moribus lingua concineret. Novennis autem statis Ecclesiæ jejuniis assuevit, ut inediâ virtutem opimaret. Precibus noctes vigilabantur, ut inocciduum è tenebris lumen conciperent. Adhuc puer peregrinos manu reprehensos suas divertere cogebat in ædes, quas Orbis terrarum capaces fecerat hospitalitas. Idcirco filio pater indulserat singulis ut sabbathis quinos advenas, quos urbanâ è portâ egressus pro arbitratu seligebat, hospitio acciperet, ac postero mane jentaculo refectos, & pecunia donatos dimitteret. Ita pius venator teneris ab annis perdidicit animos capere in vinculis charitatis, dum corpora beneficiis cumulata hospitii officiosis angustiis liberaret. Quinque aliquando cœlites juvenili facie hospites conspicuos integritatis eximiæ adolescens excepit: quia *pares cum paribus facilè congregantur.*

gantur. Terrenum illi hoſpitium cœleſti concentu remunerantur: fœnebrem nempe, uberemque mercedem repoſuerunt canoræ Cœli Gratiæ. Sexta feria carceres, Dominica die noſocomia inviſebat, ne miſeria ulla ſubſidiariam ejus miſericordiam præteriret. Sed qui profusè miſericors in genus humanum fuit, larvatas hominum facie Inferorum furias validè abſterrebat. Nocturnæ videlicet larvæ lucidis magis virtutis, quàm ſolis ſpiculis perſtringuntur. Iam verò nomen in Dominicana familia, ſeque ipſum Chriſto daturus, quas exorare à patre potuit, opes egentibus erogavit pretioſus divinæ mendicitatis emptor. Vbi ſe religioſa recepit in clauſtra, vitam coluit auſteriorem. Antelucanus, & nocturnus ad horariam matutini temporis precationem ſurgebat. Inde canonicas cæteras ritè preces ſuo in ſacrario de genu recitabat. A precibus quotidianâ diverberatione grave corpus, & ad ima proclive in cœli ardua fervidus auriga compellebat. Carne ſemper abſtinuit: parciùs, & dilutiùs bibebat: nec ferè plus ſemel cibum quotidie ſumebat. Sextâ feriâ pane victitabat & aquâ. In communi cœnatione accumbebat extremus: & à menſâ grates Deo agebat ſubmiſſis genibus, tantâque vi lachrymarum, ut lachrymas etiam provocaret alienas. Breviſſimi erat ſomni, quippe qui binas dumtaxat horas ante canonicas Matutini preces, totidemque à precibus in ſtramineâ culcitrâ veſtitus duram caperet quietem. Primo diluculo ſacrâ litabat hoſtiâ, quam ſacrifica pietas oculorum ſalſo ubertim liquore aſpergebat. Inter piæ aſperitatis ſpinas virginale lilium facilè cuſtodivit AMBROSIVS, & lachrymatis imbribus educavit. Vt mirari nequaquam ſit Galliam, Germaniam, Romam, ac demum Senenſem patriam ex ore vel docentis, vel declamantis pependiſſe, quæ magis facientis è moribus penderint. Eadem, quæ magni Gregorii, AMBROSII quoque patulis cœlo auribus Columba cœleſtem, planeque ambroſiam eloquentiam ſæpius inſuſurraſſe viſa eſt. Quidni autem ab eo tellus dicente pendêret, cui magiſtra cœli facundia allaberetur? Hinc diſſidentes inter ſe Germaniæ Princi-

B. Ambroſius Sanſedonius ſacram Theologiam tres annos publicè docuit.

pes

pes conciliavit: recens ibidem exortam, & ipsâ in infantiâ pestiferam hæresim jugulavit: oblatos à Pontifice sacros infularum honores recusavit: ad Cruciatæ sanctissimum bellum Orbem Christianum copiosissimè armavit: magnum Conradinum, cui sacris erat interdictum, Clementi Quarto Pontifici Maximo mitificatum subjecit: Ab Innocentio Quarto missus, Pisanos, Florentinosque in confinibus sæpè rixantes composuit, & hos præterea sacrorum ab interdictione liberavit. Eidem pœnæ cives eripuit suos, cum tacito vultus fulgore satis eloquens in publico Pontificis Gregorii Decimi Comitio sic omnium perstrinxit oculos, animosque, ut Pontifex mirabundus, venerabundusque ante indulserit, quàm interdicti mulctam AMBROSIVS deprecaretur. Tam insigni pro beneficio grati Patrem patriæ te cives tui profitentur, dum patriam Vrbem in tuis manibus, complexuque appingunt. Quin etiam olim hoc fuit in more positum, ut aliquo theatrali spectaculo hujus cum Deo, atque Pontifice reconciliatæ gratiæ memoriam quotannis in foro maximo instaurarent. Fuit præterea ex ejus auditoribus qui persanctè asseveraverit, conspectum non semel à pluribus inter conciones à suggestu sublimem: quia virtuti, Virgiliani pace proverbii, facilis ascensus: unde humana prospicere soleret, ac prædivinare. Illustrem sanctitate vitam exitu piè regio coronavit. Nam sacro concionum æstu abruptâ pectoris venâ purpuream cum voce profundens animam Deo liberaliter litavit decimo tertio Kal. Aprilis, sexagenario Major, anno Domini humana pro libertate servitutem subeuntis millesimo ducentesimo octogesimo sexto. In ejus occasu splendidissimum sydus nube candidâ circumfusum, exoritur, quod lento in cœlum ascensu ex oculis evanuit: ut corporis integritatem, animique sanctimoniam candidè, splendidéque abeuntem interpretemur. Superesset, ut res plurimas, ab eo vivo, extinctoque mirè, ac divinitus patratas, connumerarem: nisi suorum ipse miraculorum, quem descripsimus, maximum esset AMBROSIVS: cujus dexteram rerum admirabilium ef-

K 2 fectri-

fectricem imploro, ut, ſicut pia ſuarum gerula Senarum eſt, ſic etiam ſit calamitoſis hiſce temporibus ſoſpitalis.

Ex Sylvano Razzio in Vit. BB. Hetruſc. Ferdinando de Caſtiglio in Hiſt. Ord. Prædicat. par. 1. cap. 11. 12. 13. & Iulio Sanſedonio in vita ipſius B. Ambroſii.

APRILIS.

B. NICOLAVS BANDINELLIVS,

Ordinis Eremit. S. Auguſtini.

IV. *Aprilis.*

CReditur NICOLAVS inclyti generis BANDINELLIVS nomen ſuum, ut famam nomine denigraret in NICOLATIVM deformaſſe. Sed contra res accidit, quàm optabat. Virtus enim nomen à nominis contemptu, jacturâque fœneratur. Quin etiam clariſſimam Alexandri Summi Pontificis Tertii familiam, unde is poſt centum circiter annos propagatus eſt, clariorem reddidit, dum in ſacra ſeſe Iliceti antra illatebravit. Quia Solis unius prærogativa eſt, in obſcuros terrarum receſſus, efficaci luce penetratos, aureum, ac gemmeum diem inducere. Hic certè Sol Ilicetani cœli ſic latebras pervaſit, ut congruente ſolitudini mirâ taciturnitatis laude, inter cætera decora, gemmeosque mores, claruerit. Quarè mutire nunquam auditus eſt, niſi cum vocem ſumma cogens, & premens neceſſitudo vix expreſſit. Mutam tamen hanc ſilentii virtutem ejuſdem NICOLATII ſimulacra digito ad os admoto ſatis vocalia teſtantur. Silentium utilitate rebus omnibus anteferendum, divinis in Harpocrate honoribus priſca ſuperſtitio conſecravit: & ejus effigiem digito labiis impreſſo expreſſit. Nos quoque noſtrum habemus Harpocratem, quem citra ſuperſtitionem inter amicum ſilentium Ilicum

cum lucum veneremur. Nequis autem putet eſſe tam inamœnæ indolis ſilentium, ut non miſceat utile dulci, ſuperſtitioſam alteram ſilentii Deam ore obligato, obſignatoque Angeronam eâ cauſâ voluit in volupiæ ſacello antiquitas, quod ſilentio ſata proveniat uberrima humano generi voluptas. Vt mirandum nemini ſit, ſi ſolitarium NICOLATIVM inter mortales ſilentem, frequens cœlitum conſortium, & concentus recreabat. Decet autem canente cœlo attentas ſilere terras. Sed qui fieri poterat, ut, cum cœnobitis præeſſet, ſilentio imperaret? Virtutis nimirum documenta etiam ſine vocis imperio imperioſa ſunt. Multa prætereà de NICOLATIO ſanctiſſimo viro dicenda ſupereſſent: ſed eodem ab altiſſima demiſſione manu ſilentium indicente prædicare prohibemur. Obiit. Erravi. Abiit ad vitale cœlum pridie Nonas Aprilis, Anno MCCL. vixit felici ſæculo ubertim autumnantis ſanctitatis, cum Aſſiſias Franciſcus pius ſolitudinis cultor ad mitigandum etiam ſterile Iliceti ſolum acceſſit: cœleſtique vitæ conſuetudine ad ſanctiores fructus manſuefecit.

Ex Herrera in Alphab. Auguſtinian. L. N. Aloyſio Torello centur. 2. cap. 6.

B. IOANNES INCONTRIVS,

Ordinis Eremit. S. Auguſtini.

IOANNES INCONTRIVS teneram quindecim annorum ætatem inter Ilices duris aſſuefacere Ilicetano in cœnobio aggreſſus eſt. Sed vitæ mox auſteritatem pertæſus, iis ex aſpretis clandeſtinam fugam moliebatur. Iam pomario egreſſum in proximam ſe prædenſam ſylvam penetraverat: cum ſit obvius paſtoris mortalis aſpectu, immortalitatis luce crinito, Paſtor æternus: diductoque ſaucii lateris ore aureo divinus Chryſoſtomus,

IV. Aprilis.

Divina hæc ſpecies Christi Ioannem ſitientis expreſſa coloribus cernitur ad Ilicetanum cœnobium in antiquiori ſacello.

mus, errabundam saltuosas per salebras oviculam ad religiosas caulas revocavit. Hinc illo è vulnere intima IOANNIS sanitas, illo è sanguine victus asperi suavissimum condimentum: inde vita quintum & sexagesimum usque ad annum innocentissimè præducta, inde anno stabilitæ salutis millesimo trecentesimo trigesimo nono temporarius occasus pridie Nonas Aprilis, in æternitatis immutabilem ortum felicissimè redivivus. Divina vero, ipsique duntaxat hominum nota, transfugæ ad bonam frugem revocatio ejusdem confessione morientis innotuit.

Ex Herrera in Alphab. Augustinian. L. I. Aloysio Torello centur. 2. cap. 75. Andreä Gelsomino in Thesauro cœlesti cap. 22. Adverte ab aliquibus nuncupari Ioannem Guccium, ducto in cognomen nomine genitoris Guccii Mollis de Incontris.

BB. PETRVS, & DEMETRIVS,

Martyres, Ordinis Minorum.

XIII. *Aprilis.*

AGe Senensis virtus, & per calcata marium, terrarumque pericula ad Indos usque pervadens, Orientem solem triumphalis mortis occasu clariorem redde. Neque verò terribile mortis satellitium diros cruciatus objiciens Maura barbaries labefactare poteris præstantissimam Senensis constantiæ firmitatem, id unum timentis, ne parcas. Primus ecce PETRVS in medium prodit, eò magis fervidis charitatis actus ardoribus, quòd sanctissimi Francisci cineribus illos tegit, ac fovet. Et verò intrepidus Mahometicæ impietati Christi leges, puta sordibus aurum, opponens, ineluctabilibus rationum momentis Thammæ Saracenorum Vrbis populum commovebat. Cum furiis percitus Melicus Præses, postquam infra Senensis animi celsitudinem ingens minarum turbo detonuit, PETRVM solaribus radiis

radiis eâ in regione prævalidis exponi jussit, ut ad cruciantem ardorem viri charitas refrigesceret, nec tam extima species, quàm fides intima denigraretur. Sed vim artus urentem facilè despexit animus, interim à justitiæ Sole longè suavissimè recreatus. Hoc itaque trium horarum supplicio Heros inflexus mox in rogum conjicitur vehementer succensum : atquî venerabundus ignis per propriæ virtutis oblivionem, sæculorum omnium memoriâ dignissimam, Iudicem ipsum damnans, unius reum innocentiæ luculenter absolvit. Vsque adeò claræ sententiæ minimè tamen audientes hostes interpretati sunt, parcere flammas non homini, sed hominis tunicæ, quippe quam stolide acuti, fortè contextam esse affirmabant ex lana terræ Abrahæ, cui benedixerit Deus. Quasi vero non potius electos Abrahæ filios jamdudum vereri Babylonicus ignis assuevisset. Nudatum proindè variis per integram diem cruciatuum generibus torquent; ac demum, ubi fustuarii lanienâ è corpore vulnus fecêre, laqueo gutturi injecto ex arbore ita suspendunt, ut spiritum penè præfocatum ægrè trahere valens, productiorem, dirioremque oppetat mortem. Sed ille nullum planè sentiens angorem, biduo divinas laudes jucundis vocibus resonabat : quasi non inter cœlum terramque suspensus, sed ipsum longè supra cœlum deliciis suavissimis frueretur. Qui minus barbari erant, per facilem ab odio ad gratiam deflexum, vitâ donandum esse clamabant suis à suppliciis adoratum, & mortis per tot miracula triumphatorem. At Melicus à dulcedine nominis per felleam crudelitatem penitus abludens, eò amarius in Martyrem incitatus, securi feriendum jussit. Atque ita denique placuit P E T R O purpuream animam non terris evomere, sed cœlo inserere coronandam. Præter ejusdem Franciscani Ordinis strenuos asseclas Thomam Tolentinatem, & Iacobum Patavinum, gloriosæ mortis comitem habuit D E M E T R I V M civem suum, cujus alterâ imagine Senæ gloriosiores incedunt, quàm olim Demetrii sui trecentas, & sexaginta statuas Athenæ jactaverint. Et iste quidem pectus gladio semel iterumque

Daniel cap. 3.

2. Reg. 18.

Purpuream vomit ille animam. Æneid. 9.

Demetrius Phalereus.

rumque transfossus rem absolvit brevi compendio, sed effusissimis plausibus æternitatis universæ digno. Horum omnium sacras exuvias ignis ædi, quâ servabantur, per nefas subjectus violare non est ausus. Cum eædem postmodum aliò navi deveherentur, exardescens ventis, subitisque procellis infrendens Oceanus, nec jam sese tumidum capiens, vectoribus ultima minabatur. Attamen educto, & in conspectum dato pretioso sarcophago, mare sese illico colligens detumuit, & felici navigio lætum ad murmurantes fluctus submisit. Nimirum post obsequentes flammas quid supererat, nisi ut sanctissimis membris undæ quoque decederent?

Ex S. Antonino 3. par. tit. 24. cap. 9. Marco Vlyssipon. 2. par. Chronic. Min. lib. cap. 35. & seq. Petro Ridulpho lib. 1. histor. Seraphicæ, Martyrol. Francisc. Thoma Bozzio de Signis Ecclesiæ Dei lib. 7. Sign. 27. ex quo, & ex libro memoriarum sodalitatis Senen. Beatissimæ V. de Scala constat, B. Demetrium quoque fuisse Senensem.

B. IOANNES MARTINOZZIVS,

Ordinis Minorum, Martyr.

Circa XV. Aprilis. Martinozzia familia ex Monte Politiano Senas ducta.

I, Sequere prævolantem, & Ægyptias in oras præducentem famam peregrina Senarum pietas. Illic IOANNEM MARTINOZZIVM pro Christo trucidatum venerare: insepulto sepulcralem, animi excelsitate dignum, obeliscum statue: in eoque funebri lapide sculpturâ literato, memorabilis hanc epitomen vitæ inscribe: IOANNES MARTINOZZIVS, qui martyrium nomine inchoatum, re ipsa perfecit. Franciscano in Ordine mira posuit religiosæ tyrocinia virtutis, & purpuræ funeris vitæ candore prolusit. Iam Christi miles victoriam robore, ac spe præcipiens, jamque longè

longè progressus in Ægyptum, unus immensam Memphym voce divinitus flexanimâ debellabat. Inter hæc audit mercatorem Genuensem, quo familiarissimo utebatur, à Christo sacrilegum transfugam, ad Mahometem descivisse. Tum is desertoris salubrem ad militiam retrahendi studiosissimus, hominem convenit, scelus acriter exprobrat, efficitque ut ejerato Mahomete, Sacramentum Christo dicat, & incolumis voce, & abscissi capitis sanguine renovatum. Irritati ea re Saraceni authorem, ut Genuensis transfuga resipisceret, IOANNEM manibus, pedibusque obstrictis, extentoque corpore duas crudeliter in partes obtruncant. Sic heros fortissimus bifido Martyrio medium colorat Aprilem anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto. Hoc vitæ breviarium sepulchro insculptum: Vos prætereuntes cum fuga temporis mortales interciso in vitali stamine non interruptam legite Virtutem.

Ex Martyrolog. Franciscan. sub die 15. April. & ex quampluribus Franciscani Ordinis auctoribus ibi relatis. Adverte in eodem Martyrologio sub 30 Aprilis, memoriam celebrari alterius Martinozzii eodem martyrii genere coronati his verbis: *Apud Cayrum Babyloniæ B. Bartholomæi Martinozzii Martyris, qui à Saracenis pro Christi fide dissectus fuit à capite usque deorsum in duas partes. De eo Pisanus lib. 1. Conformitatum, &c.*

B. Bartholomæus Martinozzius, Martyr.

B. IOACHIMVS PELACANIVS,

Ordinis Servorum B. V.

XVI. Aprilis.

NObilissimum hunc Mariæ servum in pedissequâ ejusdem Virginis Lunâ placet adumbratum suscipere, quando ipsa IOACHIMI nobilitas mera fuit umbra candidissimæ sanctitatis. In Deiparæ cultum à primâ ætate præmaturus, implendam indolis suæ veluti lunulam illi subjecit, quæ Deo plena Sol est animorum.

rum. Vt mirandum non ſit, ſi profuſiſſimâ in pauperes miſericordiâ radiaverit : ſi quicquid paternâ è domo corrogare poterat, id omne in famelicam mendicitatem erogaret. Ita quod accipit Luna, lumen impertit. Ab eâdem divinâ Parente quatuordecim natus annos per nocturnam quietem admonetur, ut ſuorum Ordini religioſo ſervorum det nomen, & fidem. Nam cui decentiùs ſerviret, atque illuſtriùs Senenſis hæc Luna, quàm virginali ſuo ſubjectâ virginitate Soli ? Eo in ordine ultimum ſui demiſſione locum occupavit, & munia obeundo viliſſima ſplendidè implevit. Nempè Lunaris Syderis eſt cœleſtia inter lumina noviſſimum eſſe, imiſque terris citimâ familiaritate opportuniſſimum. Quod autem Crucis cruciario cum Deo ferendæ percupidus, morbos fœdiſſimos contraxerit, alterum comitialem, ab alio quem mirè ſanavit translatitium : divinitus alterum impetratum, abſumentem verminationem : gentili ſuo ſyderi ſimillimum facit, quod maculoſâ luce decoratur. Denique præoptatâ Paraſceues die mortuus effecit, ut Religioſa quoque Luna, Deo moriente deficeret. Ætatis ſuæ anno trigeſimo tertio brevem integerrimæ vitæ circulum confecit. Vt in ea Lunæ curſum recognoſcas, quæ immenſa peragit ſpatia minimo ambitu, eodemque juveneſcit menſe, ac ſeneſcit. Patrata poſtmodum miracula comprobarunt, IOACHIMVM in cœlo ſic degere, ut auxiliares Lunæ partes agat, quæ ſtellarum omnium efficaciſſima, quia proxima, terris patrocinatur. Atque ita ſanctior hæc Luna dum ſibi occidit, eſt aliis vitalis.

Ex Faſtis Marianis ſub 16. Aprilis, Archangelo de Gianis in Annal. Ord. Serv. B. V. Tomaſio in Hiſt. Senenſ. par. 2. lib. 8. & ex Nicolao Borgheſio in B. Ioachimi vita.

A. Virgineum animi candorem ut integerrimum IOACHIMVS ſervaret, nivibus, gelu, ſpinis conſuevit adverſos corporis motus comprimere.

B. Captivùs quidam Maſſæ maritimæ falſò circumventus crimine jam capite plectendus, ubi ſe ad cœleſte IOACHIMI patro-

patrocinium votis recepit, diſruptis repentè manicis compedibusque in libertatem eſt evocatus. Sexennis quoque puer, quem forte aquæ abſorbentes extinxerant, invocante IOACHIMVM matre, vitæ illico redditus eſſe narratur.

B. PHILIPPVS,

à Monte Ilcinenſi, Ordinis Minorum.

ANtonio Magno illi ſtupendorum operum auctori, quem Patavini ob ſupremam diem (quæ verus juſtorum natalis eſt) apud ſe obitam jure ſuum Civem appellant, comes aſſiduus PHILIPPVS fuit, ejusque ex ore, quod arca teſtamenti vocabatur, ſuaviſſimum eximiæ ſanctitatis manna continenter haurire dignus eſt habitus. Hic terrenis à curis cum vehementer abhorreret, evolantem in ſublimia animam quamlibet gravi, & ponderoſâ corporis ſarcinâ ſequebatur, ſiquando intentiore mentis acie in Deum defixâ totus à ſenſibus excidebat. Quinimò ipſiſſimam Divinæ Arcæ virtutem in PHILIPPO liquidâ planè obſequii conteſtatione videntur undæ coluiſſe; atque ut veteri illi Iordanis, ita huic Orcia fluvius latè decedens, medium ſicco veſtigio tranſitum præbuit. Quid quod cum terrarum undis cœli aquis in viri venerationem conſpirantibus, dum à Columbarii pago, ubi mortem obierat, ad patrium Ilcinum deveheretur, ne gutta quidem decidentis affatim è cœlo pluviæ ſacrum cadaver attingere eſt auſa. Vna in re à veteri illâ divinæ legis cuſtode Arcâ diſcrepuit, quod illius tactus lethalis nonnullis fuiſſe traditur. Nemo à contrectatis ſacris PHILIPPI ſpoliis non aut animâ ſanctiore, aut ſaniore corpore diſceſſit, ut pleroſque ab ipſis mortis faucibus ereptos integræ ſaluti reſtituiſſe dicatur. Adeo feliciter amantiſſimo ſocio Antonius non ſua modò omnia, ſed ſe ipſum, & Divinam, quam ſpirabat, Arcam communem fecit. Quid inde mirum, ſi ſtatim atque PHILIPPVM ſuum morta-

XXV. Aprilis.

Ita ex Pontificio oraculo nuncupatus eſt S. Antonius Patavinus.

Ioſue 3.

Anno 1279.

litate functum audivere Ilcinenses Cives, armata militum manu ad pretiosas illius exuvias sibi comparandas convolarunt? Funus efferre videbantur, sed publicam re ipsa incolumitatem oppido intulêre: quemadmodum votivæ PHILIPPI sacello præfixæ icones æternùm testantur.

Ex lib. 1. Conformitatum S. Francisci, ex Tossignano lib. 2. & ex monumentis Ilcinensis Ecclesiæ.

B. ALDOBRANDESCA PONTIA,

Vidua, Tertii Ordinis Humiliatorum.

XXVI. *Aprilis.*

ALDOBRANDESCAM Pontio, & Materno Bulgarinorum perantiquo genere illustrem hæc animi decora illustriorem reddidere; Virginem, intimæ formæ candor in totius corporis filo, & elegantis oris in lineamentis eminens: Nuptam vero prænobili Iuveni Bindo de Bellantibus, conjugalis inter licentiæ faces nivea pudicitiæ fides, in fortunarum infortunio fortunata, quippe uno dives Deo, contemptio: & in longâ, sordidâque viri ægritudine famulatrix absque nauseâ misericordia, etiam usque ad ulcerum, charitati nectareum, suctum: Viduam contra dissuasores piè pertinax castæ viduitatis amor: precandi studio anticipatum terreno in recessu Cœlum: suppliciis voluntariis usque ad animi delicias divexatum corpus, atque dotalibus cruciamentis cruciario cum Deo emaces Nuptiæ. Denique monialem sub aspero vestitu inter ferrea flagra artus quotidie cruentantia, spinasque in coronam plexas tempora dolore acutissimo defigentes, præfulgens virtutum omnium ornatus; qui cum cœlitibus cœli Regem, Reginamque non semel ad propiorem admirationem devocavit in terras, ut nobilissimam famulam eximiis muneribus cohonesta-

honestarent. Splendidè acta gradus per omnes vita occasum habuit in æternitatis Oriente præfulgidum, planéque meridianum: & mors lucis vitalis nox, haud nigravit, sed rerum syderibus admirandarum inclaruit sexto Kal. Maji anno à partu Virginis millesimo trecentesimo decimo. Cæterum candidissimus animus à custodia corporis absolutus, Columbæ specie (ut B. Ioannes Baptista Ptolemæus testis divinitus oculatus asseruit) ad beatissimum sempiternæ requietis nidum inter asseclas cœlites provolavit: ubi lucis æternæ candor Deum ipsum colorat in Columbam. A.

Ex Sylvano Razzio in vita BB. Hetrusc. Gregorio Lombardellio in vita ipsius B. Aldobrandescæ.

A. Qualia verò munera fuêre corporeo ipsi ALDOBRANDESCÆ obtutui nascentis, patientis, redivivi, atque ad superos remeantis Christi mysteria fuisse cœlitus evoluta: sanguineum nectar è Crucifixi Reparatoris icone per vulnus lateris repente defluum ipsam degustasse: è gutta Eucharistici sanguinis, sacris operantis incuriâ in patenam fortè delapsâ vivacissimæ lucis radios ad vitiatum ipsius ALDOBRANDESCÆ oculum prodeuntes, expeditum lucis usum illicò reddidisse! Quid quod Angelus clavos, quibus nostræ salutis Vindex Cruci confixus, Beatæ huic fœminæ id in votis habenti spectandos detulit. quos inter cum ille, qui pedes trajecit mole grandior videntis animo vividiùs hæsisset, cœlestis ubi genius recessit, ex oleagino trunco persimilem planè clavum ipsa eadem elaboravit: qui trecentis amplius ab annis integrâ formâ conspicuus in Senensi Divi Thomæ Templo, ubi sacrum ALDOBRANDESCÆ corpus conditum colitur, venerantium oculos admiratione defigit. *Templum à S. Petronillæ Monialibus vulgo nuncupatum.*

S. CATHARINA BENINCASIA,

Virgo, Tertii Ordinis S. Dominici.

XXIX. *Aprilis.*

AGe, CATHARINAM BENINCASIAM, clariſſimum Hetruriæ noſtræ decus, oculis B. Raymundi contemplemur, quibus olim vir ille graviſſimus alumnam ſuam divinorum vulnerum notis inſignem, & cætera ſponſi Chriſti imagine præfulgentem ſpectaſſe dicitur. Sed quod ille tunc in unis corporis lineamentis animadvertere ſibi viſus eſt, nos in moribus, ſtudiiſque, ac toto vitæ habitu agnoſcere adnitamur, & quàm propè ad divinum illud exemplar publicæ mortalium imitationi propoſitum acceſſerit, expendamus. Nihil vultu, oculiſque parvulæ jucundius fuit, nihil feſtivius, idque ipſum *Euphroſyne*, quo vulgo celebrabatur, vocabulum declarabat, ſed oris ſuavitatem, & formæ elegantiam mirum quantum innata quædam verecundiæ, & gravitatis indoles condiebat, quæ accendendis ad pietatem intuentium animis miram, & efficacem vim habuit, umbra videlicet, atque imago ejus virtutis, qua Chriſtum olim, dum inter homines ageret, præcelluiſſe comperimus. Deiparam Virginem in Matris loco vel inde CATHARINÆ fuiſſe ſcias, quod fauſtiſſimum ejus nomen rudi, & incondita adhuc lingua balbutiit, nec prius humanos edere ſonos, quàm Angelicis verbis cœli Dominam ſalutare perdidicit, ſalutare illud carmen ad ſingulos domeſticarum ſcalarum gradus iterare in more habuit, quos genibus plerumque moliebatur, ut labori, & incommodis, quibus edita, & ſublimia petendi ſibi opus futurum erat, teneris ab annis aſſueſceret. Hac illa procedendi cunctatione jure meruit, ut celerius quo tendebat, evaderet; neque enim à cœlo multum abfuiſſe dicenda eſt, cui manifeſtam Chriſti Servatoris inter cœlites verſantis, blandéque ſibi, & familiariter

miliariter arridentis Imaginem ſpectare licuit; quæ felicitas puellæ noſtræ etiamnum ſexenni contigiſſe narratur, cum fortè ad vicinam D. Dominici ædem intentiorem obtutum conjeciſſet, nec talibus à ſpectaculis per cæteram omnem pueritiam, nec à ſequente ſpectacula inuſitata vulgo ſpiritus dulcedine, & jucunditate vacavit: & quo vacaret ſine arbitris, atque interpellatore liberiùs, cœpit impetum amovendi ſe humanis ab oculis, ferarumque in vaſto aliquo ſecreto contubernium adeundi, quippe & ſponſum ſuum quamvis plerumque inter filios hominum deliciantem, etiam deſerto delectatum ſciebat. Verum quia ea vitæ ratio neque ætati decennium nondum egreſſæ, neque indoli ad animarum profectum, uſumque Eccleſiæ à Deo ſepoſitæ conveniebat, factum eſt ut in ipſo capeſſendæ ſolitudinis conatu, perſpecto divino conſilio ſuis cœptis refragante, alacritatem ſuam juſto vehementiùs effervеſcentem facilè continuerit, ſeque in redeundo eidem divino ſpiritui regendam permiſerit, à quo Chriſtus in deſertum ductus eſt; namque à ſpeluncâ, quam eâ gratiâ adierat, domum petens, cœleſtis machinamenti vehiculo, & Angelici miniſterii auxilio uſa eſt. Severo ejus, & conſtanti perpetuæ Virginitatis propoſito, quo ſe maximè mortalis animus cœleſtis Agni ſequacem probat, adeo divina bonitas eſt delectata, ut caput ſuo ſpiritu inſidere dignata ſit, qua olim ſpecie Chriſtum inter Iordani fluctus agentem inſederat; nec ſanè leviore ſententiæ cœleſtis indicio opus fuit inopi, & inermi puellæ, quo ſe muniret adverſus importuna parentum ſtudia, mortalem ſibi ſponſum, & profanas nuptias obtrudentium; nec enim ſollicitandâ filiæ conſtantiâ deterriti ſunt, quoad præſens, ac manifeſtum Dei numen dictis, factiſque ejus adeſſe argumento candidiſſimæ columbæ deprehenſum eſt, indeque melioribus Divini ſponſi nuptiis arbitratu ſuo frui permiſſa, cujus illa ſanctiſſimi fœderis præſentem acceperat teſſeram, anulum adamante, & margaritis inſignem. Ex illo ludentem ſeſe variis imaginibus cœleſtem ſponſum ab ſeque certiſſima captantem experimenta

rimenta mortalibus oculis frequenter usurpare non destitit, cum se modò socium ejus effusæ in Dei laudes adjungeret; modò stipem ab ea specie pauperis, & miserabilis emendicaret: modò Eucharisticis epulis accumbenti manifestus adesset: modò in pectus ejus, ac viscera blandè violentus invaderet, & pro vetere illi, & curis terrenis gravato, cor novum, & amandi sui peritius impertiret. Nec illi invicem segnior in adeundo, & in cœlum usque persequendo suo sponso alacritas erat, cum crebris, & prodigiosis mentis excessibus ab omni rerum mortalium inquinamento se subducebat, ut familiari ejus congressu, & jucundissimis alloquiis frui posset. Hinc illi immota, & nullis adversitatibus, calumniis nullis concussa, pacatissimæ mentis tranquillitas. Hinc laborum patientia, dolorumque & voluntariæ corporis afflictionis admiranda perseverantia. Hinc miraculum litterarum, quas nullo mortali Doctore acceptas, monumentis ingenii longè clarissimis, & posteritati quoque profuturis illustravit. Hinc dicendi uberrima copia. Hinc respondendi subtilitas, & consilii gravitas. Hinc arcanorum notitia, ac futurorum divinatio. Hinc reliqua humano captu superior sapientia, quæ gentes Christianas universas tantâ sui famâ, ac celebratione compleverat, ut à summis pariter, infimisque ad sedanda inter homines odia, ad poscendam cœlestium pacem, ad abigenda vitia, ad petenda angustis in rebus salutaria consilia, tanquam certissima divinæ voluntatis interpres & commune Ecclesiæ oraculum adiretur. Illius libertatem Gregorius Vndecimus Romanus Pontifex cum officii sui admoneretur, civiliter & libenter tulit: illius authoritate adductus votum pridem susceptum de repetendâ Vrbe, propriâ Pontificatus Maximi sede, positâ omni tergiversatione Deo persolvere maturavit, quod initi à se tantâ de re consilii divinitùs consciam intellexisset: illius dexteritate, atque prudentiâ ad extorquendum à Florentinis debitum Sedi Apostolicæ obsequium usus est, cum inusitato inter mortales exemplo ducem pulcherrimi facti fœminam esse voluit. Ejus ipsius ingenium successor

Gregorii

Gregorii sextus Vrbanus ad compescendam Ioannæ Neapolitanæ Reginæ contumaciam adhibuit, nec aliud laboranti per ea tempora fœdissimo schismate Christi Ecclesiæ certius, firmiusque præsidium est arbitratus, cum conquisitis undique terrarum clarioribus quibusque Dei famulis communem bonorum causam sanctimoniæ gratia, ac dignitate muniendam curavit. Hæc & alia id genus innumera erga communem rem Christianam egregiè à CATHARINA patrata illa nihilo obscuriora, minusvè magnifica erga commoda, salutemque privatorum, quòd se infimis ægrotorum ministeriis addixerat, omni contagionum discrimine contempto, cum elephantiasi, & fœdi cancri ulceribus distentos sua cura, & famulatu impertiebat, præter omnem laboriosissimæ operæ molestiam perfida, ingrataque officii sui in ipsis illis, quos curabat, fastidia, atque acerbitatis admirabili patientiâ devorando. quin etiam obloquenti de moribus suis, & sinistros de ipsa pudicitia serenti rumores ægrotanti cuidam ex horum numero fœminæ ne succensere quidem sustinuit, satisque habuit pœnitentiam calumniatrici suæ quæsitissimis à Deo precibus exorare, quod & saluti illi, & post recantata falsa crimina, recuperatæ sibi apud homines existimationi fuit. Sed longè pulcrius, ampliorisque in Ecclesia emolumenti studium ejus adversus perniciosas vitiorum pestes, ac morbos impensum, cui efficaciùs, & fructuosiùs adhibendo mirâ in penetrandis cordium secrètis sagacitate à Deo acceptâ pollebat, eóque fiebat, ut peccatores nudato omni pectoris recessu facilè obnoxios consiliis suis, & obsequentes haberet; id quod usu inter cæteros venisse memoriæ proditum est, Gabrieli Volaterrano celebri in Franciscana familia ejus ætatis Theologo, qui profundos cum Virgine sermones de divinis rebus ingressus, ab accurata, & copiosa ejus de religiosa paupertate disputatione, in quam de industria diverterat, facilè intellexit, nequaquam occultum illi sepositum in abdita parte suæ cellæ peculium, quod adeo illicò abjecit ab sese, cupiditatemque suam, & alienum ab instituti ratione habendi

ſtudium ultrò, & multis cum lachrymis accuſavit. Cujus generis exempla adeo multa ,& illuſtria ſunt, ut præclaro illi Pii ſecundi elogio locum fecerint, quòd nemo ad CATHARINAM accedebat, quin doctior, meliorque recederet. Quid hic ego patrata paſſim prodigia, obſequentemque, & attonitam ad imperia ſanctiſſimæ Virginis rerum naturam commemorem, quorum ſplendore, ac magnitudine probatos ſibi famulæ ſuæ mores, acceptumque vitæ in ſui gloriam impenſæ ſacrificium Divina providentia humano generi teſtata eſt ? Cum defixus inter precandum, intentuſque in cœlum animus levatum terreſtri à pondere, & quaſi ſuæ conditionis oblitum corpus in ſublime tollebat, & quaſi anticipato noviſſimæ tubæ officio penè cœleſtibus ſedibus inferebat: cum impaſta, & uno cœleſti ferculo ſatiata plures in menſes perſeverabat in vita : cum exiguam annonam ad uberes multorum convivarum epulas ſuperare juberet : cum Dæmones ab obſeſſorum, cum morbos ab ægrotantium corporibus depellebat; quæ ſingula nominatim exequi propoſitæ ſcribendi brevitati non convenit. Vnum illud commemorare non ab re fuerit, quod mortem ipſam inexorabilis ſuæ humanas ad voces contumaciæ oblivíſci coëgit, dum precibus Lapæ matris obſequitur, molliter, & muliebriter maturi fati neceſſitatem ferentis. Extinctam ſiquidem priſtinæ lucis uſuræ multo effuſæ ad Deum precationis labore reſtituit, & ſuperſtite ad extremam ſenectam incolumitate donavit, cujus illa poſtea fructum longè jucundiſſimum cœpiſſe fertur, quod ſuæ ipſius poſteritati interfuiſſe viſa eſt, cum inter cultores filiæ in cœlum receptæ, non ſemel apparuit; præſertim verò cum prodeuntibus obviam univerſis civitatis Ordinibus advecto Senas ſacro CATHARINÆ capiti, in puerorum, puellarumque exculta ad omnem elegantiam frequentia, grandis natu matrona, & ſuper ætatis dignitatem feliciſſima fecunditate venerabilis ſpectaculum religioſi illius agminis longè pulcherrimum fuit. Per hunc demum inſiſtentis uſquequaque Chriſti veſtigiis vitæ curſum tres & triginta annos nata

ad fami-

ad familiare sibi jam pridem cœlestis patriæ Domicilium purissimum spiritum intulit mortali sarcina inter cultus, laudesque venerabundæ posteritatis clarissimis Italiæ sacrariis dispertita, ut præcipuè sacro Capitis deposito Patria, digito, quem olim cœlestium nuptiarum anulus insigniverat, venerabile apud Pontignanum Carthusianum cœnobium, corpore ipso Roma glorietur.

Ex vita D. Catharinæ à Confessariis, aliisque Authoribus edita, & ex antiquis manuscriptis.

B. ANTONIVS à Monteciano, Ordinis Eremit. S. Augustini.

VT Antonio Vlysipponensi Patavium, ita & Senensi ANTONIO Montisciani oppidum, vitæ quippe immortali natalitium, agnomen fecit. Hic autem noster Patriæ splendorem cum Ilicetanæ solitudinis mutavit umbris: pro quibus non modò vectigal pendere, ut illi Plinianæ platano usu venisse accepimus, sed omnium opum suarum jacturam facere grave non duxit. At longè pretiosissimam lucem rependêre magnanimæ viri humilitati sacræ Ilices: quantò scilicet puriori in religiosis cœli suburbiis, quàm illæ olim ad Averni fauces, auro præfulgidæ! Enimvero virtutes ex ascetica disciplina adeo præclaras ANTONIVS brevi contraxit, ut ad Montisciani cœnobium immissus, & sanctissimæ vitæ exemplis, & beneficæ charitatis prodigiis, cœlestis veluti thesaurus ditionem illam cumulatâ felicitate ditaverit. Hæc autem quàm valida fuerit, satis exindè conjicias, quòd ejus reliquiæ aliquot à sæculis perennarunt. Nam, ut vir gravissimus Antonius Gostantinius anno hujus sæculi undecimo à parentibus, avisque suis accepisse testatus est, triplici insignis beneficentiæ munere hujus egregii sui civis Patrocinium Montisciani

.... Aprilis.

Plin. lib. 12. cap. 1.

populo propitium eſt. Primo quòd ut nimia opulentia, ita importuna mendicitas in eos populares non cadit. Quæ media vitæ conditio meritò ſapientiſſimo Regum in votis fuit. Deinde quod dira grandine ferè nunquam ibi ſata vexantur, ac ne aliis quidem tempeſtatis adverſæ injuriis ſpes agricolarum affligitur. Tandem quod de nemine unquam ex ejus oppidi hominibus capitale ſupplicium ſumptum fuiſſe dicitur. Eaque omnia peculiari divinæ gratiæ munere eas in gentes ANTONIO deprecatore proficiſci conſtans omnium perſuaſio eſt. Et ſanè integerrimæ Patroni conſtantiæ in avertendis ejuſmodi labibus perenne pignus videtur ipſa ſacri cadaveris à labe penitus immunis integritas, tam vividis, firmiſque artuum compagibus, ut dum anno hujus ſæculi decimo ſexto ornatiori templi arâ locandum, curioſiùs ab aliquibus tractaretur, toto in terram pondere fortè prolapſum, diſſolvi tamen, aut ullâ ex parte frangi nequiverit. Tantum decus quis in viri caſtimoniam non referat, quæ videlicet è mortali Angelum formans, artubus ipſis vim transfundit mortalitatis expertem? Virgineum certè illius candorem tellus ipſa, quæ primùm cadaver excepit, candidè teſtata eſt, ultrò in lilia perpetuò erumpens, & eam ſuavitatem inhalans, quæ verè bonum Chriſti odorem fuiſſe ANTONIVM, liquidò proderet. Quòd verò admirabilius eſt, ipſo ANTONII ex ore lilium aſſurgens (diſertè videlicet conteſtans, ſe poſthumam eſſe virginitatis ſobolem) circumfuſum ſolum ſimiles erudivit in flores. Conſpiravit cum terra ignis, teſtis nempè luculentus, dum ex quatuor funalibus cereis biduo ad illius nuper extincti corpus ardentibus, nihil planè ſibi in alimentum aſſumpſit: & apum virginum opificio parcens, innoxiam ab adverſis flammis viri caſtimoniam dilucidè adumbravit. Sed clariùs etiam integerrimam ejuſdem ſanctitatem expreſſit Divina Lux illa, quâ uſquequaque coruſcans ANTONII ſpiritus, ubi è corporis ſeſe vinculis expedivit, cœlum ſcandere nonnullis eſt viſus. Et quidem arduam ad ſuperos viam emenſum eſſe, mirus ille, quo cadaver immaduerat, ſudor

2.Corint. 2.

Anno circiter 1300.

ſudor probavit. Quæ igitur ſpes hominibus enervis vitæ, & mundanarum deliciarum amatoribus eſt, eò per deſidiam, atque torporem evadendi, quò robuſtiſſimi cœleſtis militiæ veterani non ſine multo pulvere, ac ſudore perveniunt?

Ex Herrera in Alphab. Auguſtinian. lit. A. Torello in vitis Auguſtinianorum ſanctimoniâ illuſtrium centuria 2. cap. 67. Io. Baptiſta Pizzichinio in compendio manuſcripto vitæ B. Antonii.

CAMIOLA,

Vidua Sanctimonialis.

INgratus erga ſe aliorum, & immemor beneficii animus præcipuam excitandæ CAMIOLÆ vim habuit, ut ſe Deo bonorum omnium authori gratiſſimam exhiberet. Agebat hæc Meſſanæ poſt elatum forte maritum, inque ipſo ætatis flore, & ſumma paternarum opum affluentia (Laurentio Senenſi cive homine claro in paucis, ac divite nata erat) non pudicitiæ minus, quàm cæterarum virtutum laude præſtabat, cum Rolandus Aragonenſis, Federico Siciliæ Rege ex concubina progenitus, acceptis à Petro, qui Federico patri ſucceſſerat, viginti longis navibus cum Neapolitanis Roberti Regis miſſu Liparithanos vexantibus adverſum prælium fecit, quo deleta univerſa ejus claſſis, captus ipſe, atque in vincula conjectus eſt; & quia inſignis ea Siculorum calamitas ignaviâ potiſſimum Ducis contracta videbatur, nullo arctiſſimæ neceſſitudinis reſpectu erga eum commotus eſt Rex, ac ne dignum omnino judicavit, cujus libertati, neque ſtudio, neque pecunia conſulendum curaret; nequaquam incommodum publico exemplo futurum ratus, eam erga tanti faſtigii virum negligentiam, quæ illi pro pœna admiſſi in ſe tanti dedecoris videretur. Hac tam ſævâ nobiliſſimi juvenis fortunâ com-

. . . . Aprilis.

mota CAMIOLA, ſimulque propriæ dignitatis extollendæ cupida, plenum ſplendidæ magnificentiæ facinus aggreditur; miſſis namquè idoneis hominibus de redemptione Rolandi cum Roberto tranſigit, grandem pecuniam, quæ ad pretium poſcebatur, de ſuis facultatibus expedire jubet: verum ante omnia nuptias ſibi cum reſtituto in libertatem captivo paciſcitur; nec enim mora ulla aut in Rege accipiendi pro capto hoſte pretii, aut in Rolando vertendæ in qualecumque matrimonium captivitatis fuit, quanquam in CAMIOLÆ conjugio fœminæ & morum, & natalium gloria clariſſimæ, præter privatam fortunam, nihil erat quod generoſus maritus faſtidiendum haberet. Sed vetus illud profectò, ſcitumque eſt, nihil ad corrumpendos hominum mores fortunæ indulgentiâ efficacius eſſe. Vt ſe procul à vinculorum calamitate, atque in ſua priſtina magnitudine inconſultus juvenis aſpexit, iratus nimiæ ſuæ facilitati in accipienda tam imparis matrimonii conditione, ſeu veriùs animi pravitate detectâ, initio quoque cum fraude verſati, ubi primùm de liberandâ, quam obligaverat, fide eſt appellatus, obfirmato inverecundè adverſus omnem accepti beneficii memoriam animo, neque ad ſe quidquam, ſuamve ad libertatem CAMIOLAM pertinere, neque ſibi privatâ, & indecorâ domeſticis imaginibus conjuge opus eſſe reſpondit. Enimvero Matrona tam palmaris perfidiæ nuncio, ut par erat, commota, exarſit animo, ſuamque ſimplicitatem ludibrio habitam, impatienter indoluit, nec tamen per iracundiam, aut muliebres querelas in re tanti momenti, ſed conſilio & ratione agendum ſibi conſtituit. Itaque precibus primo illum, & adhortationibus per graves, & honeſtos viros aggreſſa eſt, utque fidei, & ſacramenti, quo ſuam religionem obſtrinxerat meminiſſet, admonuit. Vbi immotum animadvertit, ad aſperiora converſa in jus vocavit, expoſitâque documentis haud dubiis univerſâ rei geſtæ ſerie, cauſam ſuam facili negotio judicibus probavit, obtinuitque ut Rolandus ſecundum promiſſi ſui formulam damnaretur, nec jam ille moram ullam parendi faciebat,

ciebat, infractâ tandem ad æquitatis obsequium voluntate, cum super judicii severitatem, incœptum suum plenum invidiæ, confixumque totius populi objurgationibus cerneret, ac ipsum etiam fratrem à suâ causâ aversum intelligeret; nec opes, gratiamque regiam ad cujusquam injuriam abutendam daturum. Hoc sibi generosa mulier ad existimationem, famamque, cui uni tota hac actione studuerat, satis esse duxit. Cæterum inconstantiam rerum humanarum pertæsa, atque in earum contemptum viriliter, & constanter intenta, salutare sapientissimi Apostolorum consilium sequi constituit, ut jugum nuptiarum, quod semel exuerat, ne sibi subeundum ulteriùs judicaret. Hujus itaque propositi certa, ubi primùm colloquendi cum sponso copia fuit, mitigato, & conjugali vultu ad se venienti, Mitte, ait, tibi veriùs, quàm mihi reddite Iuvenis, intempestivam istam humanitatem: & quam tuam noluisti cum esset, scias jam non esse cum velis. Fruere liberiùs regiâ istâ sorte, quam jactas procul ab imparis sponsæ consortio, videlicet excelsiore: dum tamen istam ipsam, quâ tantopere delectaris magnitudinem quantumvis impari sponsæ debeas. Longiùs à spretâ CAMIOLA gressus quò libet verte: ejus tamen auro pedes tuos hostili ferro subductos memineris. Quoties fatalis tibi Italia in oculos incurret, tibi ipse in mentem venias necesse est, cum quantacunque ista tua magnitudine à privatæ matronæ benignitate ipsi tibi redditus, & conservatus. Me certè quòd tali tuo tempore has nuptias affectavi, nemo jure temeritatis arguerit, non enim florentem, fortunatumque, opibusque & honoribus affluentem optavi, sed obscurum, & inglorium, suisque carissimis fastiditum in perdita, & afflicta fortuna diutiùs jacêre prohibui. Quo sanè consilio quando sincerum amoris tui præmium consequuta non sum, alium amatorem mihi quærendum proposui, quem fidei fallendæ nescium, & minus anxium meæ dignitatis exactorem experiar. Tu itaque mortalium, ac immortalium amabilissime IESV mihi unicè in votis eris, qui sponsas longissimè licet impares minimè despicis; neque

neque verò nisi anteà deseraris, addictos tibi animos deferis. Te auspice, cum nihil non instabile Mundus exhibeat, extra mundum, Religioso videlicet in solo pedem figere juvat. Atque utinam meo plures exemplo discant, ipsam fortunæ inconstantiam gradum sibi facere ad constantissimam Divini obsequii felicitatem. Hæc vix absolverat, cum sese è vestigio proripiens à Rolandi conspectu, stupidum illum rei novitate, & elinguem relinquit; adeoque universæ mox civitatis sermonibus, conviciisque vexatum, ut publico diù abstinuisse, sibique per omnem vitam, ac suæ conscientiæ rubori, ac pudori fuisse credatur. Interea CAMIOLA suas illas ingentes opes fastidiens, quæ tam infaustum ingrati animi monstrum è carceris umbris evocarant ad lucem, felicem, ac planè tutam Christi pauperiem, universâ admirante, ac plaudente Siciliâ, inter sanctimoniales amplexa est. Nimirum ad nuptias Regum Regis evecta, regali sponso satis superque parem probare se voluit. Atque ut Senis evoluta ad posteros constanter est fama, vitam ad supremum usque spiritum religiosissimè traducens, Fidem cœlesti sponso apprimè servatam, ipso mortalis sponsi perfidiæ objectu, reddidit longè clarissimam.

Ex Ioanne Boccaccio de fœminis illustribus cap. 103. *Baptista Fulgoso lib.* 5. *cap.* 3. *factorum dictorumque memorabilium, Thoma Fazzello decade* 2. *lib.* 9. *cap.* 4. *hist. Siciliæ.* Fazellus, messanenses, non autem Senensem Camiolam scrip.

MAIVS.

MAIVS.

B. BONIZELLA DE CACCIACONTIBVS,

Vidua.

VI. Maji.

Incendium Aretini Archivi contigit anno 1384. aut sequenti.

QVamquam gravissimo illo, quo tabularia Aretini Episcopatus olim periere incendio, omnem exactiorem rerum à BONIZELLA gestarum memoriam intercidisse constat, non dubia tamen constantis, & ad hæc tempora deductæ famæ monumenta de ejus sanctimoniâ, & sequuta sanctimoniam populorum veneratione supersunt. Ortam eam ex vetustissimâ de Cacciacontibus familiâ accepimus, cujus in ditione Ascianum Sinalonga, Fojanum Trequanda, Penojum in agro Senensi, nec pauca in Florentino oppida fuere, quamque tituli Comitum Ascianæ, Palazzoli, & fabricæ ornavere. Sed ut natalium claritudo, & accepta à majoribus gloria inter postrema sua decora censerentur, accessione illustrium omnis generis laudum, virtutumque perfecit; nam post Naddum Piccolomineum conjugem morte sublatum, ad Belsederii pagum sese recipiens, vitæ reliquum, hoc est in annum usque MCCC. ipsius mortalitati supremum, ad omnes Christianæ perfectionis leges exegit. Quò enim per humanarum oblectationum fugam, & corporis afflictationem severior in se ipsam, eò in egentes indulgentior, quippe amplissimæ ejus facultates infirmorum, mendicantium, pauperumque monialium commune patrimonium fuisse dicuntur. Nimirum sapientissimè provida, per pauperes, Dei numularios, perituras divitias commutabat æternis. Atque ita pecunia, sollicitum aliis bonum, ipsi tutissimum evasit, ac planè fruendum. Cæterum sanctimoniæ, cui feralis, ut diximus, flammarum splendor oblivionis te-

nebras inducere visus est, admirabili vice ipsæ sepulchri umbræ lucem rependerunt gloriæ immortalis. Cum enim in Trequandensis templi extimo pariete BONIZELLÆ cadaver tribus appositis candidis marmoribus conditum lateret, ita denique sacrum thesaurum superi publico bono detectum voluere: Apes per marmorum illorum haud satis aptè coëuntium spiramenta ultrò citróque sollicito volatu commeare conspectæ, inclusi occulto alveari favi in spem aliquos excitarunt, & ad amovendos eos lapides induxerunt. Cum ecce pretiosas BONIZELLÆ reliquias intuentur, quarum ad obsequium officiosum strepentium avicularum agmen fervebat, videbaturque suæ naturæ oblitum, suique ingenii, ad emortuos ne flores quidem, nedum homines adire sustinentis. Sed mortuum videri non poterat corpus illud, quod ab omni prorsus tabo eximium, & nullo cementorum, aut vetustatis situ violatum, etiamnum sociati olim sibi sanctissimi animi integritatem spirabat. Et verò ad beatas manus examen ingeniosum confluxerat. quàm bene! si enim sedêre in ore infantis Platonis, tunc etiam suavitatem illam prædulcis eloquii portendentes, quantò digniùs BONIZELLÆ manum ambirent, testes dulcedinis, quam ex illâ uberrimam, gratissimamque jugis olim in egenos misericordia exprimebat? Quòd autem tantæ pietatis suavitas ullo satis melle adumbrari nequibat, omisso potiori sui nectaris opificio, ceram inter sacras palmas dædalæ volucres confinxerant in calicem, sacra ad mysteria adhiberi solito persimilem. Ne scilicet dubitari posset, Dominum, cui per pauperum manus opes BONIZELLA erogaverat, hæreditatis suæ, suique calicis partem fuisse potissimam. Animus certe in tantam pietatem flecti cereus, quâ aliâ convenientiùs materiâ, quam cerâ exprimeretur? Et sacrum quidem depositum tanto cœlestis indulgentiæ erga se favore pernobile, exceptum quâ par erat veneratione, cultuque, & loculo affabrè constructo conditum, aliis, aliisque prodigiis cœpit exinde clarescere; quemadmodum suspensæ ad ejus tumulum votivæ tabellæ soteria solventium

Plin. lib. 11. cap. 8.

Ejusdem libri cap. 17.

Psal. 15.

tium

tium antiquitate notabiles fidem faciunt. Illud inter cætera commemoratione dignum. Palantibus aliquando armatorum turmis per vicinos Trequandæ agros nonnulli milites templum ingressi, & ligneam arcam intuentes in edito collocatam, scrutandi adducti studio ecquid intus, quod operæ pretium esset lateret, latebras ejus aperiunt. Vbi verò candidum BONIZELLÆ corpusculum invenêre, cæterorum quidem oculos quidam pietatis sensus corripuit, at unius audacissimi obtutum longè magis aurum sollicitavit, quod gemmâ obsignatum emicabat è digito. Eum itaque annulum dum non veretur abripere, in ipso vestigio ereptam sibi ducentium ad scelus oculorum lucem indoluit; manifesto experimento quàm cæca sua cupiditas fuisset agnoscens. Verùm sic cæcus scelus tandem suum, dextræque violatæ potentiam vidit: & pœnitentiæ collyrio medicinam perditis oculis fecit. Nam statim atque ingemiscens reposito annulo veneratus est manum, virtutes pauperum non scelera alere jamdudum solitam, recepto luminum usu convaluit: ut jam pro decantata Achillis hasta BONIZELLÆ annulum verissimè suspicere liceat, idoneum ad sanitatem non impertiendam minus, quàm propellendam. Præ hac tamen de auri sacrâ fame palmari victoriâ multò nobilius cœlestis Heroina gloriatur, quòd temporis avido dente cuncta absumentis vires post tot jam sæcula perenni victoriâ subigat, per sui corporis, ipsorumque vestimentorum, quibus illud olim humatum fuit, integrum nitorem. Cujus intaminatæ formositatem in partem admittitur consepultus illi parvulus nepos, pretiosa appendix, Beatus Guido usitato jam sacri honoris titulo nuncupatus. Parum quippe BONIZELLÆ fuerat, vim corruptionis expertem in suæ spoliis humanitatis retinere, quod rarum, nisi eundem honorem, quod planè rarissimum, etiam aliis impertiret.

B. Guido nepos B. Bonizellæ.

Ex monumentis Ecclesiæ Trequandensis, quæ BB. Bonizellæ, & Guidonis diem quotannis festum celebrat, populis ad sepulchralis aræ cultum confluentibus.

BONAVENTVRA DE VENERE,

Eremita.

VII. *Maji.*

BONAVENTVRA Theate nobili loco natus Senensem ditionem quadraginta ampliùs annorum domicilio illustrans, non tam civitatis jure donari meruit, quàm civitatem sui jure donavit. Septennis HORATIVS (hoc enim illi nomen, antequam solitaria pietas alterum auspicatius induceret) asperiori vitæ proludere visus est, dum jejuniis subindè corpusculum affligere, & nudis asseribus incubans somni voluptatem castigare gaudebat. Ferè decennis patriâ domo in eremum aufûgit, ex quâ ad res domesticas componendas, Ioanne Antonio ipsius patre vitâ functo, in Patriam mox redire coactus, ad aliam postmodum remotiorem solitudinem eò alacriùs se fugâ subripuit, quòd pœnitentiæ stimulis agebatur. Subito enim iræ impetu nonnulla in matrem clarissimi generis Margaritam de Poddio verba effuderat, vindictæ sensum prodentia. Atque hoc palmare illud est nefas, BONAVENTVRÆ oculis semper objectum, nec ullis unquam lachrymis satis elui visum; adeo ut (exhorrescite qui parentibus vos immorigeros exhibere, jocum ducitis) paucis ante obitum horis cum gemitu in se ipsum invectus exclamaverit, Proh scelestе! tu ne igitur potuisti, contra Summi Numinis præscriptum, Matrem exacerbare? Novâ illâ desertâ in statione sacco cinericii coloris indutus, nudis pedibus incedens, herbarum radicibus victitans, & injuriis tempestatum expositus quinquennium latuerat: cum à matre, cui res tandem detecta, infimis precibus est revocatus. Ille ut paratissimo obsequio veterem contumaciam expungeret, Theate remeans substitit in sacrâ ædiculâ urbi proximâ procul à turbâ, Parentem ibi præstolaturus. At mater

mater ubi adventantis os, habitumque rescivit, per minorem natu filium BONAVENTURÆ exponi jussit, ut sacco, & squallore tantisper posito nobiles vestes indueret: neque enim ferebat animus, sub istiusmodi sordibus suam prolem amplecti. Tunc enimvero BONAVENTURA erubescens Divini famulatus erubescere insignia, & impium ratus Parenti sic esse pium, è vestigio iterum fugit. Et vero cœlum perspicuo ostento firmavit id genus contumaciæ nequaquam ingratum superis accidisse. Nam à Margaritâ dolore percitâ immissi complures pernicibus cum equis ad filium detinendum, licet fugientis latera premerent, nunquam tamen ipsum oculis assequi potuere: luentibus per ejusmodi caliginem obsequentium oculis quicquid nimium delicati Dominæ oculi deliraverant. Post hanc à patriâ domo tertiam fugam, BONAVENTURA aliis fermè annis quinque varia peragravit loca inhospita, rigidum vivendi genus temperante charitatis ardore, quem è jacentis pectore Comes ab Antignolla Perusinus nocte intempestâ suspexit erumpere in igneam columnam, per tot ærumnarum veluti flammas probatæ Amantis constantiæ illustrem umbram. Sed ecce magnanimo Heroi grandiùs ostentandi amorem suum occasio sese videtur offerre, si nimirum adscribatur novo Christi Equitum Ordini ad evulgandum Indiarum Populis Euangelium instituto. Placuit occurrentem sortem amplecti. Et jam ductu Io. Baptistæ Pisaurensis Carmelitæ Discalceati Genuam progressus cum duobus & triginta sacræ expeditionis commilitonibus, adverso mari velificationem remorante, duos menses ea in urbe substiterat; cum repentè à sociis, hominis inconstantiam carpentibus, dimitti petit: sed cœlitùs injectam illi esse talem mentem, aperuëre mox Pontificis literæ, ejusmodi Ordinem dissolvi jubentes. Dum autem in regressu, Vmbriæ eremum, ac solitudinem iterum BONAVENTURA meditatur, ad ædem quandam Deiparæ sacram in Senensi ditione divertens, claris repentè vocibus ut à proximâ solitudine non recedat, jubentem audire sibi vi-

detur Mundi Reginam. Vbi enim in Virginis obsequia, & in omnem pietatem feliciùs animum explicaret, quàm in Senensi solo, veteri Heroum Virgini militantium palæstrâ? unde tam mira occurrerent cœlesti rude donatorum exempla, quæ imitaretur ipse, & suo calculo rata, posteris alacriùs imitanda relinqueret. Quare proximam eremum ingressus D. Francisci hospitio celebrem, ad eos qui aderant fatidicâ voce conversus, Hic vivam, inquit, hic moriar. Et verò illustratâ cœlitus mente, mortem ibi locorum sibi prænunciasse inde patuit, quòd licet mutato postmodum consilio ad vitam alibi traducendam migraverit, non regredi tandem non potuit. Contulit ille se quidem ad sacellum Senis proximum, prænobile ob miram Assisiatis Francisci Ilicem in adjacente areâ latè virentem: adeò ad Patronum suum vel dum recederet accedebat. In eam arborem repente transiisse aridum S. viri scipionem apud Senarum muros nocte quadam subsistentis, certissima fama est, miraculis deinde è sacrâ Ilice accedentium bono germinantibus dilucidè comprobata. Vt non tam defecisse, quàm præstantior surrexisse scipio videretur, cui non jam unus homo, sed publica populorum salus incumberet. Et jam duos circiter annos ad amatæ Ilicis umbram Divini solis radiis jucundiùs fruebatur BONAVENTVRA, bis in hebdomadâ pergere solitus ad templum Societatis IESV Vigilio Martyri sacrum, Divina dape post sacram exomologesim, longasque preces reficiendus. Cum ferre ultrà nequiens indignissimam nonnullorum violentiam, semel ac iterum securibus sacram illam arborem nocte intempestâ rescindentium (indicto licet anathemate Archiepiscopus cædi vetuisset) ad pristinam eremum remeans, perfectæ sancti Patris imitationi se planè totum devovit. Par nempè fuerat ut Seraphici Bonaventuræ, cujus sibi nomen ambiverat, in affectus transiret, & se Francisco addictissimum exhibens, sanctissimi Parentis gesta, quæ alter egregiè scriptis mandavit, asperrimæ tenore vitæ ad vivum alter exprimeret. Eâ sanè in specu quæ ferre ipse non horruit, audiri sine horrore vix possunt. Scabro saxo

Anno. 1225.

ut probat Massicius Filomatus lect. 4. Academica de Arbore S. Francisci *cui Divo solius adhæsit B. Andreas de Senis, de quo plura* in Martyrolog. Franciscano 27 Martii.

Bonaventuræ à confessionibus fuit Io. Nucicus è Soc. IESV.

ſaxò pro culcitrâ frui, ſetoſo cilicio, ferreoque cingulo latera premere, eam ſubire frigoris inclementiam, ut veſtigia ſanguine è nudis pedibus expreſſo ſignaret, & ſæpè ſæpius ità rigeſcere, ut admotæ ad refovendos artus flammæ acerbiſſimo illos dolore torquerent, ad virium uſque defectum. Suas inſuper ingenioſus in pœnas, ſpinis diverſâ ratione implexis carnes lancinabat: & ſi quos impuros ejus in pectore Orcus excitaret ardores, prunis reſtinguere non dubitabat: eâ nempè eremo in quâ Franciſcus olim ad ſimilis virtutis exemplum nivibus uſus erat. Tot tantiſque modis excruciatum corpus (jumentum ſuum familiari titulo vocitabat) ut belluino victu reficeret, hordeaceum tantummodo panem, & aquam adhibuit: ſi paucos antè obitum annos excipias, quibus, ne manifeſtum mortis in diſcrimen ſeſe prudens conjicere videretur, ex medicorum præſcripto panem vulgarem, herbaſque rudiùs coctas admiſit. At quas corpori negabat delicias, animo cumulatiſſime largiebatur, ter in hebdomadâ Divinitatis epulo ipſum beans, duas indè treſve horas ſacris commentationibus mentem ab hac tota mortalitate abalienatam intendens, & non rarò ipſius Reginæ ſuperûm familiari alloquio ſuaviſſimè recreatus. Vitæ ratio tam admirabilis quamplurimos ad ſe undecumque ſpectatores accivit, quorum non paucis emergendi è peccatorum veterno graviſſimis author extitit. Hinc illæ Tartareorum hoſtium iræ, turmatim quandoque in BONAVENTURAM irruentium, quod ipſos non à ſe modò, ſed ab aliorum animis exterminare contenderet. Stetit ille tamen invictus, & plures numeravit palmas, quàm pugnas: modeſtiæ interim, intimæque demiſſionis finibus animi gloriam continens: ut qui videlicet ſapienti planè conſilio nimis perditam ſtultitiam reputabat, vanam ex piis operibus auram captando per cœli viam ad inferos pergere. Atque adeo nihil antiquius habuit, quàm virtutes, ac prodigia pro viribus occultare, nullius ſe meriti hominem prædicans. Inclyti præſertim ſanguinis nobilitatem Principes Neapolitanæ civitatis Caraſſorum, & Pignatellorum familias

com-

comprehendentem ad obitum usque constanter dissimulavit, hac super re interrogantibus assuetus ita respondere: Patrem vix novi, quippe decennis ipso orbatus. Genitrix autem mea, si cibo vitam alere vellet, lotum ibat (manus subintelligens, ut videlicet verba dubiè cadentia mendacio vacarent) ego verò quis alius sum nisi nebulo, qui, ne manus ligoni impendam, ut mea ferret conditio, sed procul à laboribus alieno victitem, hunc pietatis cultum obtendo? Atque ut ex animo humilitatem suam professum esse intelligas, crebrò altâ nocte nudus per vicinam sylvam humi repebat; En Domine vermem terræ vilissimum, inquiens. Hunc tamen vermem digniùs multò, quam tot splendida monstra, ad astra sua, quin longè supra cœlum, assumpsit. Septuagesimo demum suæ ætatis anno mortalitatem explevit, postquam quæsitissimis à parocho precibus exoravit, ne suum corpus intra Ecclesiam condi sineret, quòd sacri loci honore, aliorumque in Domino dormientium consortio ex altissimæ humilitatis sensu indignum se judicaret. Quod tamen observatum postea non est, prohibente Episcopo eam ignominiam à reliquiis non communi tantùm Christiani hominis tumulo, sed etiam altarium cultu dignissimis. Et sequuta postea memorantur sanctissimum virum signa, atque prodigia, quibus hæc de ejus virtute persuasio in hominum animis mirificè est propagata. Ejus præconia vi superûm arcanâ coacti ipsi Dæmones ex obsessis corporibus celebrarunt. Illud insigne, quo præ cæteris dotibus, abstinentiâ, animi demissione, castimoniâ, & charitate præstantissimus est appellatus: quæ quidem laus eò magnificentior ac illustrior est, quod eam ab hoste, eoque superbissimo triumphatrix è cœlo BONAVENTVRÆ virtus expressit.

Anno 1627. 7. Maji.

Ex vitâ compendio editâ à Fabiano Mancino.

AVRE-

AVRELIVS CHISIVS.

AVrum, quod auribus, Lector, tuis fortè sonat nomen AVRELI, vel intelligas effusè in pauperes erogatum, vel in viri mores pretiosè transfusum, in rem ipsam verissimè collimabis. Natura quidem reluctari visa est conatibus pietatis sibi AVRELIVM destinantis, dum puero docilitatem ingenii, indolisque suavitatem negavit, dum adolescentem in vitæ liberioris discrimina pronum exhibuit. Sed inde magis ille Divini Numinis Gratiæ clarissimas eas virtutes debuit, quibus conspicuus mox eluxit. Vndevigesimum annum agens, occulto divini spiritus impetu actus, eam religiosissimæ vitæ subitò speciem induit, quâ longè veriùs quàm olim C. Cæsar documento fuit, ab excellenti eximiâque virtute progressum ætatis expectari non oportere. Placuit, non aliud pœnitentiæ, cui se destinabat theatrum eligere, quàm eam ipsam patriam urbem, cui licentiæ, ac vanitatis specimen sese præbuerat: ut videlicet perversam recti verecundiam penitus ponens, melioris mentis propositum ad ludibria procacioris juventutis, veluti ad constantiæ cotem acueret. Et verò res è sententia cessit. Vbi enim rejectis pretiosis vestibus, & cætero splendidæ fortunæ instrumento Iuvenis nobilissimis parentibus Augusto Chisio, & Olympia Bulgarina in affluente summis opibus domo natus, cœpit despicatiore cultu incedere, frequentibus, rigidisque jejuniis corpus extenuare, oculos, ac linguam ab omni profanarum rerum inquinamento prohibere, & contra omnes humanitatis illecebras intentissimè semper excubare: qua vitæ ratione quantum apud sapientissimum quemque approbationis, & laudis invenit, tantos ab inconsulta juvenum levitate risus, ac sibila expertus est. Quæ ille cum immoto prorsus exciperet animo, incredibilique constantia, dulcissima quadam patientiæ voluptate saginabatur, salsorumque dictorum aculeis mirificè se ad capessendam strenuè crucis

XI. *Maji.*

Cic. Philipp. 5.

Tertull. de virt. patientiæ cap. 3.

crucis ignominiam excitari sentiebat. Quapropter hauriendis aquis, fodiendæ telluri, & cubiculis everrendis patritiæ manus operam sæpissimè commodabat. Quin eo se Christianæ humilitatis impetu abripi passus est, ut medio diei, summaque in populi frequentia ad pauperem nosocomio inferendum gestatoriam sellam humeris subire partito cum vili gerulo onere sustinuerit,ut mirum non sit quod, qui tam vilis ipsi sibi fuisset, imaginem sui vultus, quam coloribus expressam sese ignaro acceperat, diligenti conquisitam cura in minutissima frusta consciderit, sane quàm immerentem, quippe à Francisco Vannio Pictore in paucis nobili exquisito artificio elaboratam. Tanta mentis tranquillitas, & in se dispiciendo firmitas inconcussa brevi potuit vel obstinatissimos sui vituperatores admiratores efficere. Ex quibus nonnemo, qui palmari injuria AVRELIVM læserat, illo imperturbatæ patientiæ spectaculo ad subitam pœnitentiam correptus, saccum induens, & fune præcinctus per Senarum vias excitato per tintinnabulum populo incessit; veniam exposcens quod hominem laude dignissimum contumeliâ violasset. Non est Athenæ, quòd vestro de Xenocrate vobis magnopere placeatis. Nihil hunc ventosa vestræ Philosophiæ præcepta, sed informavit, quæ ad veram virtutem longè validior, & efficacior est Christiana sapientia, è cujus thesauro prolatum hoc patientiæ exemplum eò illustrius est, quòd noster Xenocrates adversus suum Polemonem nullo prolixæ vocis præsidio, sed nuda virtutis dignitate, ac specie usus est. Interim AVRELIVS graviori quoque dedecore sese dignum, quippe mortalium nequissimum dictitabat. Ætatis enim tenerioris noxas in oculis semper habebat, & palàm fateri non recusabat: de quibus etsi jam pridem salutaris pœnitentiæ beneficio divinæ justitiæ satisfecerat, sibi tamen ipsi haud unquam satisfacere videbatur. Lachrymarum porro ea vis erat, ut faciem perpetuo sulco, qua cadebant, araverint, qui nimirum assidua sibi displicendi consuetudine uberem gratiarum segetem AVRELIO redderet. Ea certè oculorum pluvia mirum qualem pœnitenti

Valer. Max. lib. 6. cap. 11.

nitenti animo ſerenitatem peperit; neque enim minus gaudiis, quàm lachrymis colliqueſcebat, ſacris precibus, & diuturnæ cœleſtium rerum commentationi jucundiſſimè intentus. Nunquam tamen profuſius illius cor eliquabatur in lachrymas, quàm cum ad aram Divina dape reficiendus accederet: tunc etenim per horam ferè abalienatus à ſenſibus, non vultum modò, ac ſinum, ſed ipſum ſacelli pavimentum irriguis fletibus conſpergebat. Nec ſemel accidit, ut AVRELIO recedente æditui mox locum inſpicientes, è pendente quopiam ſuper orantis caput lychno illum humorem fluxiſſe ſuſpicarentur. Vbi verò in ipſa hoſtili ſtatione Mundum ſatis triumphaſſe AVRELIVS ſibi viſus eſt, manubias ferre decrevit in religioſa caſtra Societatis IESV, quam utpotè vitæ rationi, quam inire cogitabat, idoneam, unicè in amoribus habuit. Sed quoniam ordo ille non ſolum mores ad induendam Chriſtianam perfectionem dociles, vitamque à vitiis alienam deſiderat, ſed etiam ingenio optimarum artium diſciplinis inſtructo, adeoque procurandæ aliorum ſalutis idoneo opus habet, provectæ jam ætatis AVRELIVS, & fortè ſtudia literarum altitudine quadam animi aſpernatus, quaſi rem homini Chriſtiano haud magnopere neceſſariam, cœpit impetum aggrediendi duriſſimi laboris in ediſcendis linguæ Latinæ elementis, ſeque ad eam humilitatem, atque moleſtiam exemplo Ignatianæ patientiæ demittendi: ſed imparem laborioſis illis meditationibus corporis valetudinem expertus, alienum à ſuis rationibus conſilium omiſit, atque à Patavio, quo ſe diſcendæ commodiùs Grammaticæ cauſâ contulerat, Senas revertit, nihil remiſſo interim ſtudio petendæ Societatis, cui nomen dare, & qua erat animi modeſtia inter coadiutores, quos temporales vocant, admitti ſumma ope contendit. Verum divinæ providentiæ, quæ ingenti plurimorum felicitati AVRELIVM reſervabat, eam Societatis Moderatori mentem injecit, ut ſui Ordinis lucrum publico bono poſtponens, petentis modeſtiæ non cederet; nec virtutem ad magna natam, & luce digniſſimam, hu-

mili in gradu latere permitteret. Sui tamen muneris esse duxit petentem iis ascribere, qui in partem admittuntur piorum totius Societatis suffragiorum: & gratiùs ratum habere illud obedientiæ obsequium, quod Præpositis Generali, ac Provinciali, & Senensis Collegii Rectori AVRELIVS sanctè profiteri se dixerat. Et sane ex cœli consilio aditum in optatam familiam fuisse AVRELIO interclusum, ostendêre præsertim tot Virgines, diligenti ejus operâ, & auxiliaribus opibus, egestatis novercæ insidiis subductæ, ac in tuto locatæ. Vt enim adamati semel instituti vestigiis aliqua saltem ejus muneris usurpatione insistere videretur, salutem scilicet animarum enixè procurans, primùm pauperes è populo puellas (vulgo *Le Abbandonate*) quas celeberrimus Iurisconsultus Hieronymus Benevolentus in unum piâ sub disciplinâ redegerat, AVRELIVS numeratâ large pecuniâ instruxit: ut nimirum inchoata illarum domus absolvi posset, & simul à rei familiaris angustiis levarentur; nulli pauperum generi magis convenientem esse miserantium liberalitatem ratus, quàm quibus parata egestatis subsidia pudicitiæ jactura suppeditat. Sed quemadmodum non alia acerbior egestas est, quàm cui splendor generis miserias suas clariùs ostendit, ita in id maximè animi curas incitavit AVRELIVS, ut virgines ex edito nobilitatis ab adversa fortuna dejectas gravioris periculi aleæ subduceret. His proindè non solum insignem domum è fundamentis construi curavit (quam utpotè nobilis honestatis asylum, Refugii nomen ferre voluit) sed & annuos proventus attribuit ad victum perpetuum, vestitumque & cæteras vitæ necessitates idoneos. Templum quoque erigi Parthenoni adjunctum voluit, elegantia, ac dignitate in paucis visenda, quibus ædificandis ad triginta aureorum millia impendit, tantâ cum liberalitatis, & beneficentiæ laude, ut ne gloriæ fructum ex eo facto ad se, nomenque suum redire voluerit, vetito, ne ulla in ædificii parte Authoris ejus mentio perscripta extaret. Quæ quidem modestia in cumulum illi uberioris laudis, ad posteros fuit, quibus eo nunc spectabilior

lior viri magnificentia est, quo minus est ad spectandum proposita. Hæc nimirum ingenita illa, & à stirpe profecta indoles est, quæ gentilem ejus ALEXANDRVM Romanum Pontificem ad regalem Templorum structuram; & cultum nunc excitant, sed maximè omnium ad eximiam illam in miseros, pretiosiora Dei templa, beneficentiam, quam debitis nulla unquam ætas non adorabit encomiis. Nam sub ipsa Pontificatus initia hanc præcipuè virtutem Principe Deum referente dignissimam sibi selegit in tesseram, aureis argenteisque numismatis splendidè expressam, adjecta à sacro carmine celebri epigraphe, *Dispersit, dedit pauperibus*. Nec vana esse quæ prædicamus documento sunt immensi pauperum greges, affligante, dum hæc potissimum scriberemus, urbem pestilentiâ, ab amantissimo parente immani pecuniæ profusione sublevati, & præsentissimæ mortis lanienæ subducti. Certè esse ALEXANDRO in admiratione AVRELIVM suum, paulò postquam ad summum terrarum fastigium evectus est, facilè homines intellexere; quippe pro Refugii, quod diximus, templo per dirutas oppositas ædes area aperiri jussa, atque adjecta mox ipsi Templo marmorea magnificè constructa fronte, tantum domesticæ magnificentiæ monumentum, vel prætereuntibus viâ regiâ advenis voluit esse conspicuum. Cæterum longè maximum AVRELII studium in eo versabatur, ut commissæ Virgines illius curæ ad Apostoli præscriptum in habitaculum Dei coædificarentur. Assiduus proindè erat in iis ad omnem sanctimoniam informandis, discumbentibus sacrarum literarum mysteria exponebat, & diviniori eas pabulo recreabat; Eâ subinde piorum affectuum commotione, quæ uberes ex oculis lachrymas exprimeret. Efficaciùs quoque illarum animos excitabat miris virtutum exemplis, fervidæ præsertim charitatis, altiorisque demissionis, quâ cunctis, sed maxime ægrotantibus obsequebatur, ad infima quæque servitia paratissimus. Neque verò quòd Virginum innocentiam tot assiduè præsidiis tueretur, peccantium immemorem credas AVRELIVM. Quinimò

Alexandri VII. in pios usus profusa liberalitas.

Psal. 111.

Ad Eph. cap. 2.

imò nullâ non induſtriâ contendebat, è ſcelerum veterno perditas mentes revocare. Quod ſtudium planè coronare viſa eſt cœleſtis Gratia, dum caſtiſſimi Ioſephi triumphos in AVRELIO demirandos iterum dedit. Nam cum aliquando mulierculam turpi quæſtu infamem ab illa miſeria graviſſimâ oratione conaretur abducere, fœmina impotens, & in ſui perditionem obſirmata, cum improviſæ libidinis facibus exarſiſſet, non eſt verita in perorantem cum maximè inverecundos, veſanosque amplexus expedire: impetuque eum, ſed irrito, petere, quippe effugiendi impuras manus, & conſilii, & felicitatis abundè habuit; quamvis intra retinentis improbæ prædatricis manus pallium relinquere coactus ſit, iratus ſibi vehementer, quod viliſſimo illi ſcorto in inglorii flagitii conſortium placuiſſet. Facinus nobile poſt ejus demum mortem ſacerdotum Societatis IESV opera reſcitum eſt, qui viro amoris in eum Ordinem ad ſupremum uſque ſpiritum retinentiſſimo, à ſacris confeſſionibus fuere: illud longè admirabilius addentes, quinque ſupra viginti annorum ſpatio, quo apud illos noxas ſuas in arcano judicio AVRELIVS aperire perſeveravit, illius animum non modò ab omni impuritatis labe immunem perſtitiſſe, ſed ne levioribus quidem latrocinantis quaſi voluptatis incurſibus unquam fuiſſe vexatum. Merito illius integritati per inſolitam opem conſulente cœlo, qui in alienam pudicitiam tuendam vires, ac ſtudium omne converterat. Quod certe decus quanquam inter quotidiana humanæ infirmitatis exempla omnino rariſſimum, neceſſarium fuerat viro, qui ex ſanctiſſimi ſui inſtituti ratione familiares, & quotidianos fœminarum occurſus, & colloquia vitare non poterat. Hanc cœleſtem virtutem cordi magnopere ſupremo Virginum ſponſo fuiſſe pernobili indulgentis in eum divinæ benignitatis exemplo patuiſſe, plerisque viſum eſt. Cum unius ex ſacris illis puellis valida è febri laborantis frontem levi manu contingendo, in cauſa fuiſſe creditus eſt, ut continuo allevari manifeſte illa ſentiret, brevique omnino convaleſceret. Hoc, & hujuſcemodi

modi genus vitæ ſectatus AVRELIVS, ac per has potiſſimum actiones exacto ſuæ mortalitatis penſo, meritis, quàm ætate gravior (quintum enim ætatis ſuæ & quadrageſimum annum agebat) ad æternitatis præmia fruenda eſt evocatus. Admirabilem prorſus animi ſecuritatem in illo terribili rerum humanarum articulo in vultu, in oculis, in omni ſermone præſeferens, ut qui non tam ad ſeverum factorum, dictorumque ſuorum judicium, ſed appellanda ad nomina, quæ in pauperes fœnerando cum cœlo debitore diu fecerat, & quorum exactione dives æternum futurus erat, ſibi properandum intelligebat. Sed & mirum quantum morientis lætitiam cumulavit cœleſte melos, quo ſuperum cœlites chori per octiduum ad diei vigeſimam ægrotantis aures, atque animum oblectare ſunt viſi. Qua ex voluptate tria ſibi perquam commoda, jucundaque accidere Iacobo Campionio, quo ſuæ conſcientiæ arbitro utebatur, ſæpius affirmavit, quòd à curis mortalibus, & aurium delectatione penitus ſe abripi ſentiebat; quòd mirificè obſequentem Divino Imperio, divinaque in obſequia paratiſſimum animum experiebatur; quódque nulla de actæ vitæ peccatis cogitatio ſollicitum ſe, aut inquietum habebat. Acceptorum ejuſmodi munerum fidem faciebat dulcis illa, aſſiduaque contentio mentis in Deum, omnem doloris ſenſum, obruens, quo graviſſimo decumbentem morbo conflictari, atque agitari neceſſe erat, unaque obedientiæ commemoratione, quòd eam virtutem unicè in amoribus habuit, avocari videbatur, uſurpante ſubinde graviſſimum ejus nomen Campionio, dum timet ne immodica meditationis intentio intendendæ morbi gravitati materiam præberet. Iis itaque cœlitum invitantium modulis ſuaviſſimè abreptus AVRELII animus ad felicem denique immortalitatem evolavit quinto Idus Maji Anno MDCXI. in ipſo aſcendentis in cœlum Chriſti Domini pervigilio, quem diem olim ſibi natalem, noviſſimum etiam quandoque futurum ante prædixerat, quin etiam horam ipſam diei adjecerat; vaticinii diligentia cum rei exitu exactiſſime con-

congruente, cum frustra medici ob remittentem morbi vim recuperandæ valetudinis spem invito obtruderent. Ac in ipso supremæ diei exortu, cum Campionium ob exactam totam apud se noctem somni, & quietis indigum animadvertisset, ut domum se conferret persuasit, peractoque demum missæ sacrificio, & curato corpore reverteretur, seque ante ejus reditum non excessurum pollicitus est, ac egregie præstitit. Tam conspicuis vitæ, mortisque sanctè & innocenter exactæ argumentis adducti Societatis IESV Patres non verbis modò, sed scriptis suam evulgavere de indubia AVRELII salute sententiam, deque cœlesti gloria obitum ejus nullo moræ dispendio consequuta. Accessit eorum persuasioni clara divinitus objecta species oculis innocentis cujusdam Virginis (ex iis destitutis pauperibus, quibus patrocinatum esse AVRELIVM diximus) in mulierum insanabilium nosocomio decumbentis. Namque visum sibi paucis postquam expiraverat horis AVRELIVM affirmavit, augustiorem quàm pro mortali specie, sesèque ad tolerantiam adhortantem, atque ad proposita fortibus in æterna beatitudine præmia speranda invitantem. Expositum ejus cadaver in Templo Refugii universam civitatem ad sui venerationem excivit, tantaque certatim accurrentis populi multitudo confluxit, ut ne quid sacris illis exuviis ab immodica hominum pietate graviùs accideret, publico militum præsidio opus fuerit, ad continendam irruentis turbæ frequentiam. Sic vitâ per omnem ætatem piè & innocenter exactâ; sic morte non modò constanter, & hilariter obitâ, sed etiam manifesto cœlitum favore memorabili usum AVRELIVM sequuta est, quod tuto jam poterat, ingens gloria, famaque; cunctis admirantibus in homine laico, imprimisque nobili, & locupleti tam rarum Christianæ, ac religiosæ perfectionis exemplum; multique adeò magni nominis tum Episcopi, tum aliorum ordinum proceres tantum sæculo nostro decus gratulati, datis ad consanguineos ejus literis præclara se, & summa omnia de AVRELIO sentire testati sint, authoresque illi magnoperè fuerint

ne tantæ

ne tantæ virtutis, ac sanctimoniæ monumenta passim extantia per negligentiam intercidere pateretur, dum recens adhuc esset rerum gestarum memoria, & ad fidem parata hominum conscientia superaret, quo debitus ei quandoque honos, & nominis immortalitas Sedis Apostolicæ judicio decerni possit. Optaverat sanè initio supremi sui morbi nequaquam repugnante Campionio Rectore AVRELIVS in Societatis IESV Collegium sese transferri, ut quæ sibi domus ad vitæ disciplinam negata esset, ad mortis certè decus, solatiumque contingeret; sed cum adhibito Medicorum consilio affectum non leniter corpus eam jactationem sine summo vitæ discrimine videretur ferre non posse, retineri se haud gravatè passus est, eâ quidem lege, quam & testamento inseruit, ut extincti cadaver solitis Societatis vestibus indutum communi cum cæteris sepulchro conderetur, cui tamen obtemperatum postea non est, sacris illis Virginibus in retinendo charissimo sibi optimi parentis pignore summa contentione pugnantibus, nec avelli illud à suo complexu ulla ratione passuris. Tres ipsos annos magnis ea de re utrimque studiis certatum est, donec Generalis Societatis Præpositus, qui Claudius Aquaviva tunc erat, quamvis indubium jus suum, & manifesta defuncti voluntate subnixum, contra tendenti accenso virginum affectui, nec minus enixè in id ipsum incumbenti Chisiorum gratiæ ultro posthabuit. Non videtur omittendum, quod ad piorum hominum sanctitatem asserendam magnoperè pertinere insitâ Christianorum animis persuasione semper est creditum, dijudicatâ siquidem de jure sepulturæ, quam diximus, controversiâ antequam à Refugii sacrario, (in quo tantisper dum de eo pronunciaretur, AVRELII corpus deponi placuerat) destinatum in loculum inferretur, reclusâ conditorii arcâ, repertum est non integrum modò, & ab omni injuria corruptionis intactum, sed vivido etiam colore, odoreque optimo insigne. Sepultus itaque ibidem est, & magnifico tumulo honestatus, cum lapide, ad illustrandam ejus liberali-

beralitatis erga eam ipsam Ecclesiam memoriam, hoc epigramma præferente:

AVRELIO CHIGIO,

Viro Religiosiss. & Fundatori B. M.
Hujus Congreg. Virgines
Apud quas V. Id. Maji obdormivit in Domino
Perenne Monumentum
Corporis, Virtutum, ac Beneficiorum
Posuêre.

A. S. M. D. C. X I.

Ex libro monumentorum Familiæ Chisiæ conscripto ab Auctore fide dignissimo. Viden: eque Janus Nicius Erythreus in Pinacotheca 2. Imag: 67.

PASITHEA DE CROGIS,

Virgo, Capuccinarum Senensium Parens.

XIII. *Maji.*

CONtemplandam se tibi, Lector, offert PASITHEA, non illa quidem, quæ blandarum prima sororum ab altissimi spiritûs Poëta olim audivit, sed in qua unâ cœlestes omnes munditias, omnesque Charites admireris. Obstupesces profectò, dum alteram penè Catharinam Benincasiam intueberis, dignam, quam pariter Divinus Amor sibi desponderet, & nuptialibus donis sacrorum quinque vulnerum, spinarumque coronantium superbam redderet. Hisce sponsalibus adfuisse dicuntur de cœlo præter pulchræ dilectionis Parentem Virginum augustissimam, paranymphus Ioannes Baptista, & ipsa in pronubam Catharina, expressam sese hac sui in imagine cum admiratione respiciens. Ingeniosus tamen Amor ne actum planè ageret, ita Catharinam expressit in PASITHEA, ut nova attexeret eximiæ

eximiæ pulchritudinis lineamenta. Ipsum PASITHEÆ nomen auribus nostræ civitatis insolens, & à probatæ vitæ sacerdote cœlitus admonito infanti, ut creditur, inditum, præsagium vitæ fuit, vulgarem sanctimoniæ modum quandoque supergressuræ. Parens ipsa in passum Deum transituram charitatis metamorphosi prolem suam vel inde sensit, quòd donec PASITHEAM utero tulit, arcana quadam vi ad vini, & carnium religiosam abstinentiam adacta est. Iam tunc videlicet PASITHEA illud abstinentiæ genus affectabat in matre, quod à se ipsa ad supremum usque spiritum severissimè exegit, non sine illustribus cœlestis approbationis indiciis. Nam præscripto sacerdotis conscientiæ suæ arbitri carnis esum confirmandis ægri corporis viribus indicentis cum se aliter expedire non posset, divinitus obtinuit, ut voluptate sapidioris illius escæ omnino careret, ac piscium nihilominus consuetâ pridem annonâ uti sibi videretur. Quinimò ne ipsis quidem vilioribus cibis famem suam expleri sinens, adhuc puella septies in anno quadraginta assiduos dies severis jejunii legibus transigere in more habuit: mox integras etiam hebdomadas, & nonnunquam ultra mensem nullo prorsus cibo corpus procuravit, suæque Catharinæ sorte beatissimâ gaudens solis Eucharisticæ mensæ, & cibariæ Divinitatis satis erat pasta deliciis. Sed fortis in abstinendo virgo exhibuit se in sustinendo longè fortissimam. Septennis cœpit teneros artus flagris cruentare, & latera catenis arctiùs constringere: at natu grandior ferreo insuper prægravis loricæ indusio corpus affligere, nudis pedibus lapillos, ignitos etiam quandoque è ferro globulos calceis interpositos premere, humo, vel cum molliùs, asseribus incubare, interdum aut cereis ex accensa face defluentibus guttis carnes vexare, aut nivibus ad intimum usque rigorem sese obruere, aut vepribus minaciter fruticantibus volutare. Miraris in fœmina supra ipsas masculas vires validissimam tolerantiam? at his veluti rudimentis prolusit PASITHEA summis illis, innumerisque doloribus, quos compendiaria atrocitate sponsus suus illi communes fecit sacris ipsi

Passitea Italica voce.

Christo morienti diebus : tunc planè passi Dei spirans imago, & sui nominis auspicium implens. Et jam sanguine ex impressis vulneribus profluo deficiens, & dolori succumbens; cum morte luctari videbatur, cum ad festivum æris campani plausum post silentium, squalloremque publicum resurgentis Christi memoriæ dari solitum, & ipsa veluti reviviscens sensit, animi corporisque vires jucunditate suavissima delibutas ad triumphalem lætitiam excitari. Ea siquidem fuit Numinis, superûmque tutelarium impensior cura, voluntariis è cruciatibus PASITHEAM refovere, imminentibus subducere periculis, & cœlestibus recreare deliciis. Nam trienni cum lethali morbo tentaretur Virgo, Deipara opem, salutemque contulit, & octo deinde annos natam ne aquis, in quas inciderat, mergeretur præsenti auxilio perfecit, ut optanda planè ipsa pericula videri potuerint, quibus levandis tam excellentis beneficii fortuna contingeret. Multa item eximiæ erga se voluntatis ejusdem Patronæ argumenta, & illustria experta erga se PASITHEA est, nec minora Christi Domini, procerumque cœlestium, sed præcipuè (quam unam sibi ad veræ virtutis, veræque gloriæ exemplar esse voluit) civis suæ Catharinæ. Hæc illi consiliis, opeque omnibus in rebus præsto semper fuit, ac præsertim ne quid gravissimum virginitatis propositum detrimenti caperet effecit, licet honesto per nuptias funere peritura videretur, adeo ut sua illi manu crines detondisse dicatur, & unà spem parentibus sponsum obtrudentibus detruncavit. Maximè verò ad ardentissimam in egentium charitatem, revocatis in mentem celeberrimis suæ pietatis exemplis inclytam acriter excitavit alumnam. Enimvero in ejusmodi virtutis cultu se planè dignam tam eximiâ Magistrâ PASITHEA probavit. Sileo quæ cum Catharina communia habuit, cibariis etiam per miracula auctis, miserorum famem explere ægris fœdioribus quibusque morbis, & qui maximè oculos offendere solent curam, ac manum libentiùs accommodare, ad hauriendam usque è vulneribus purulentam saniem: impressa interim osculis

salute,

salute, & ingenti videlicet stipe sanitate relicta. Aggressa est aliquid PASITHEÆ charitas, in quo id etiam, quod non poterat, posse quodammodo, & artem novam ingeniosissimè excogitavit, vel id, quod non haberet, egentibus abundè largiendi. Incidit enim aliquando in infantem parentibus pudendum, propter nutricis inopiam jam propè deficientem. Negabat natura Virgini, unicè opportunum fugienti infantis animæ sistendæ remedium. At, inquit, annon sæpe Virginitas lac cum sanguine vel pro sanguine dedit? quod itaque mors potuit, Amor non poterit? Nec plura: admovit ubera infanti, & virginitate obstupescente, charitas lac ex illis largiùs expressit. Quid quod virgineis uberibus perennis liquor aurei veluti coloris cœlitus inductus est, quem incomparabiliter suavem, & sanitatis ægris referendæ validum mirè fuisse, experta inter cæteros testis Maria Francisca PASITHEÆ soror, inter Senenses Capuccinas Religiosissimi nominis, interpositâ ritè sacramenti fide nuper asseruit. Atqui ita compensare visa est Divina beneficentia lac illud, à quo, dum infans esset PASITHEA, pluribus in singulas hebdomadas diebus prorsus abstinuit. Quanquam compensatum longè diviniùs fuerat, cum eadem ex ipsius Virginis Matris uberibus effecta Christi collactanea, hausit ambrosiam. Tam ampla charitas, & vltra naturæ fines longè, latéque protensa, spatiis unius urbis contineri non poterat. Quare non modò Florentiam sæpius, ac Romam usque se protulit, sed Germaniam, ac Galliam iteratis profectionibus illustravit. Et Gallia quidem, si Ludovico Iusto Henrici Magni sobole maximâ gloriosior incedit, acceptum illum hujus Virginis precibus referat. Mariæ quippe Mediceæ Henrici sponsæ, Liburno in Regnum suum solventi, & à charissima sibi PASITHEA, ut virilem prolem Regi sibique exoraret, enixè poscenti, virgo nostra post breves preces Divino velut afflata Numine, dubio procul prolem virilis stirpis edituram prædixit: suisque deinde sororibus addidit, se impetrasse à Deo Reginæ non filium modò, sed talem, qui Romanæ Reli-

Ludovici XIII. Galliarum Regis nasciturí præsagium.

gionis perduelles validissimè insectaretur. Et comprobavit eventus, plaudente Europa, Gallico verè Herculi per tot tantasque perfidiæ clades egregio domitori monstrorum. Alia quoque futura sæpe prænovit, & certa vates PASITHEA prædixit. Illud inter cætera scitu jucundum. Rosarum resectos, rejectosque palmites in horto studiosè ipsa aliquando plantabat; cum ad socias conversa, Hi, dixit, palmites intra duos menses rosas dabunt, post quas illicò avocabor in Gallias. Aderat forte Antonius è numero Sacerdotum, qui S. Georgii sodales appellantur, talibusque procul ab omni fide, nec sine risu auditis, At, inquit, tam hæ virgæ rosas intra duos menses proferent, quàm ego intra duos menses cœnobitam me reddam. Resumpto statim sermone PASITHEA, & rosæ, ait, reddentur, & tu cœnobitam prædicto temporis spatio te reddes. Vtrumque Divinæ Virginis vaticinium brevi suus exitus affirmavit: etsi enim nihil tunc de mutanda vitæ ratione ne somniaverat quidem Antonius, tamen intra condictum tempus Camaldulensium institutum indutis jam in florem illis palmitibus suscepit: dubio interim relicto, mutandam ne Virgo tantummodo prospexerit Antonii voluntatem, an potius ipsius oraculi vi arcana mutaverit, eoque felicissimæ pœnæ genere ridentis mordacitatem ulcisci voluerit. Quæ futuros eventus prævidit, facilè quoque vidit absentes. Cum etiam Catharina de Gallis soror Capuccina ad effusum repente fletum causæ ignara se provocari sentiret, monita est à PASITHEA, ut domesticum in Sacrarium se recipiens superis commendaret sui fratris animam, eo ipso temporis puncto in acie ad Iavarinum à Turcis occisi. Quod ita esse non multos post dies patuit per literas ex Hungaria delatas. Multo etiam admirabiliori vi è longe dissitis locis illius auxilium implorantes præsens afferre visa est: ut inter cæteros Duci Sanctæ Floræ accidisse memorant ab undis penè absorpti, dum quoddam flumen trajiceret, quo tempore cum uxore Ducis PASITHEA fortè colloquens, implorandam esse pro viro tunc maximè periclitante divinam opem admonuit.

Ipsas

Ipsas præterea animorum occultissimas latebras arbitrata, soli Deo notas, non operum modò, sed cogitationum noxas apertas habuit, ut de S. Catharina memoriæ proditum est ex quadam graveolentia collectas, cujus percipiendæ sagacitatem singulare Dei munus acceperat, quo peccantes efficaciùs ad pœnitentiam monendo, exprobandoque pertraheret. Id quod illa minimè negligebat, quamquam ipse PASITHEÆ etiam silentis aspectus satis diserta erga impios exprobratio dici poterat, tanta erat in vultu, in oculis, in totius corporis habitu gravitas, atque majestas. Occurrentem fortè nobilem Iuvenem, sed Veneris mancipium, solo intuitu adeò permovit, ut quasi non pauperis Virginis, sed æterni Iudicis oculis perculsus, expallens, & contremiscens statim se pœnitentiam acturum, & sacra confessione noxas expiaturum exclamaverit. Quid inde mirum, si tam potenti apud Deum hominesque Virgini cætera quoque natura obsequens fuisse dicitur; cum illius sacræ familiæ commodo suas ipsa leges oblivisci est visa. Optato humore ad puteum, sicca, & arente in humo inutiliter excavatum immisso: igne quàm pro materiæ copia diutiùs alito: exiguaque cibariorum annona ingentis hominum turbæ fame sedata. Dum Populoniam ad Capuccinas, quas ibi instituerat pergeret, fluvius quidam imbribus turgidus, prætereunti latè decessit: Senas repetens, alium fluvium subito adlabentium aquarum gurgite tumefactum sicco vestigio permeavit: Accersita Florentiam fœdum imbribus iter ab omni immunis humore confecit. His, & pluribus aliis miraculis ubi constructa Capuccinarum cœnobia Senis, aliisque Hetruriæ in partibus illustravit, & clariùs etiam asperrimæ, sanctissimæque vitæ præceptis, & exemplis instruxit, in Vrbe patria morbo decubuit, quem sibi novissimum futurum haud dubiè prædixit, addito nihil ultra sibi vita opus esse, quandoquidem acceptum divinitus mortalium operum pensum explere contigisset. De aliena tamen salute vel ad supremum usque spiritum enixè sollicita, paucos ante obitum dies Confessarium suum monuit, Sylveriam

Burghe-

Burghesiam adiret, eamque suis verbis ad expiandum sacra confessione animum hortaretur. Hæc viribus prævalida, & nihil triste ne suspicione quidem animo agitans, cum Honesta fortè Bargalia, & Olinda Boninsignia familiariter versabatur. Cum vehementer improviso nuncio commota, mi IESV quid rei futurum est? inclamat: paret tamen, & è vestigio sacerdoti conscientiam aperit. Vix autem absolutoria verba exceperat, cum præ subita morbi violentia sensibus destituta ad deploratam valetudinem redigitur. Imminenti tamen supremo discrimine ægram subducere visa est virgo nostra, cujus jam in cœlum translatæ Sylveria opem imploraverat. Ipsa porro PASITHEA anno ætatis suæ quinquagesimo ad Deum, cui tam fideliter inservierat, in beatitatis Regia æternis amoribus amplectendum placidissimè abiit, viæ nequaquam ignara, quam alienato divinitus à sensibus corporis animo, non semel iniſſe est visa. Virgo eo majori laude digna, quò laudes humanas studiosiùs, magisque ex animo est aspernata, sibique ipsi vilior, & contemptior fuit. Cujus quidem modestiæ, quàmque ipsa modestia cordi cœlitibus fuerit, illustre documentum edidit, cum ab effusis in sui prædicationem Florentinis quibusdam sacris Virginibus sese proripiens, portas Ecclesiæ, quæ fortè clavibus obseratæ antea fuerint, patentes offendit. PASITHEÆ funus totius Vrbis accursu celebratum, & illis clariùs honestatum est lachrymis, quas ob redditam ægris salutem, & mira quamplurima divinitus concessa beneficia, ex oculis publica lætitia expressit. Integerrimum cadaver antequam tumulo includeretur, diligenti inspectu patuit expers cordis, quod Virgo à cœlesti sponso jamdudum sibi sublatum dixerat. Sanè frustra intra pectoris angustias cor quærebatur: tota enimvero PASITHEA Christi cor fuit. A morte multis se spectabilem præbuit, Mariæ Franciscæ præsertim sorori suæ. Cum enim desiderium carissimæ suæ Magistræ alumna ægerrimo animo toleraret; solatium doloris habuit anno integro quotidianum ejus imaginis sese oculis offerentis

Anno 1657. recluso sarcophago Pasitheæ cadaver adhuc planè integrum est inventum.

rentis ſpectaculum candore, claritate, & cæteris immortalitatis argumentis inſigne.

Ex Actibus ritè firmatis in Archivio Archiepiſc. Senarum, & ex vita Pariſiis edita Gallico idiomate.

B. FRANCISCVS, vulgò TARLATVS, Ordinis Servorum B. V.

XIV. *Maji.*

IN Senenſi Deiparæ Virginis Terra quis præcipuè flos niſi Lilium naſceretur? Id ſomno divinante præſenſit, FRANCISCVM utero geſtans, Raynalda Mater, cum Lilii ſe puerperam eſſe ſomniavit, cujus è radicibus florea ſuborta pullities in ejuſdem coronam Deiparæ germinaret. Vix editum hoc Lilium, cum ſacer Baptiſmi latex irrigavit, lætam, ac ridibundam faciem ad Virginis Magnæ imaginem, nempè ad ſui ſolem candoris advertit. Ita verò prima irrigatione, atque inſolatione profecit, ut antelucanis poſtmodum aſſurgens obſequiis, ſalutatâ quotidie quingenties Virgine, perdiù ac noctu quoque ſuo in ſole apricaretur. Hinc pleraque in templis traducta pueritia, ubi Deus, ac Deipara diem aperit apriciſſimum. Iam verò debuit candidæ præſtantiæ flos à profanis,& injuriæ obnoxiis floralibus ad Religioſa,planéque Regia Servorum Virginis ſepta transferri. Proh qualis illic tuendæ, promovendæque adhibita innocentiæ cultura,corporis ſolo voluntariis vexationibus ſubacto,& piam inſinuantibus fœcunditatem lachrymis irriguo: animoque divinæ radiis lucis ſemper oſtento! Arcanum iſtud ſummo cum cœlo commercium oculis quoque mortalibus patuit, cum viſus eſt concionanti globus igneus nempè conglobata cœleſtis eloquentiæ vis imminere. Cum præterea conſpicui cœlites eidem ad Populum pia verba facienti Evangelii Codicem, hoc eſt uno inſtar omnium verbo plenum pleriſque clauſum volumen aperiebant. Et

miramur, si divinâ suadelâ flexanimus tam feliciter inter mortales pacem conciliaret, ut vulgo *Pacificator* appellaretur: dicique verè posset, dum inveterata extirparet, ac molliret odia, Lilium inter spinas? Lilio pulchrè convenit cum rosa: quare cum propè jam sine viribus, ac vita de more ad conciones exisset ex urbe, repente ad terram prolapso Deipara Rosarum obtulit fasciculum, ut Lilium langueret, ac moreretur in Rosa, sive in suavissimæ Deiparæ vitali complexu. Hinc illa immortalis vitæ in obitu anticipata; & morituro etiam in vultu efflorescens lætitia. Dicitur extremo spiritu socios, & amicos vehementer hortatus ad pietatem, ut hi auribus quoque haurirent liliaceum odorem. Mortuus est pridie Idus Majas, ac die proximo, quo Christi sese in cœlum accipientis solemnia recurrebant, anno post Deiparæ partum millesimo trecentesimo vigesimo sexto: ut non sine coronali hoc Lilio Divinus terrarum Cultor, nempè cum decoro culturæ fructu, paternum remearet ad Imperium. At confluentes ab ejus funere populares multa viderunt patrari miracula, ut oculis prætereà odoratam ejusdem Lilii suavitatem usurparent. Vnum prorsus eximium, quod conspexere complures, audite posteri mortales. Ex ore vitâ vix functi lilium extitit, cujus candida folia singula literis aureis inscripta cœlitis Gabrielis verbis MARIAM salutabant. Et quisquam dubitabit FRANCISCUM nominare Lilium, qui vel mortuus si non voce, at certè reipsâ loquitur Lilia? Meritò autem floris foliis tanquam linguis MARIA salutatur, ut Reginam in occasu gratus invocet, cujus manu fuerat satus: Vt qui sæpe vivus MARIAM, defunctus indesinenter proferret. Neque verò decentiùs potuit Deiparæ nomen aureum, quàm in argenteo flore vernare: neque floreum argentum, quàm Virginali ab auro puriùs splendescere. Sed quò posthumi Veris Lilium, nisi ad regia Galliæ Lilia transferri decuit, ubi aureis à floribus candidæ in flore virtutis idem adoretur argentum?

Ex Fastis Marianis sub 30. April. ex Annalibus Ord. Servorum B. M. V.

BAR-

BARTHOLOMÆVS CAROSIVS,

vulgo Brandanus.

XIV. *Maji.*

NOn unus Hetrusci ex agri altiùs impresso sulco extitit Haruspicinæ magister priscus Tages : sed eodem ex elemento naviter culto apud montem Fullonicum ditionis Senensis prodiit BARTHOLOMÆVS CAROSIVS, genere quidem rusticus, at in rebus prævidendis, prædicendisque divinus, & certior Haruspex. Dicitur is Ioanni Baptistæ Fonteblando, in Divi Martini Senensi æde confessario suo Ilicetano, jussus, cum effleto ex oculis animo reprehensam gravissimis à sceleribus vitam otiosè, fuséque dictasse. Nobis quoque spes est, ut eandem breviter aperiat. En facilis è cœlo audit, & annuit. Quæ scribimus, illo dictante, excipi à nobis putatote. Rusticum ego, & durum ex agris, è petris, & Senarum ex oppido Petroio genus duco. Sed me primùm vitiosa, & inolita morum rusticitas hominibus, cœlitibusque odiosè reddidit inurbanum. Tamen ad bonam divinæ urbanitatis frugem redii post annos natus duodequadraginta : & cum terram colere desii, fortuito vulnere propemodum exoculatus cœlum aliquando suspexi. Acclivem ego campum Ranutiorum fodiebam, cum subitò ex ictâ ligone silice dissectum frustum dissiluit, & lævam mihi pupillam insiliens vehementer læsit. Ex illâ oculariâ plagâ menti sanitas, & lumen. Indè uxoris hortatu frequens piis concionibus intersum : & anteactæ vitæ noxas per sacram confessionem ore expio, & oculis eluo. Sed audi rem cognitione dignam, quæ me maximè perculit, meque ex bipede monstro reformavit, ac veluti recoxit in virum. Solebat ex illius usu temporis Euangelii præco in hebdomadæ sanctioris feriâ sextâ Christi Domini cruciatus non verbis modò, sed ex factis

factis exhibere, divinamque tragœdiam gemino aurium, & oculorum spectaculo simul usurpandam dare. Quare apud Montem Fullonicum in actorum numerum sic ascribi rogo, ut Latronem frugi Tragicus Roscius agere implorarem. Igitur qua die actus in Crucem nudus pependi, fuine tecum in Calvariæ monte, bone IESV, an in Paradiso? Et quidem patibulum illud flagitiis ita par meis erat, ut me non in templo aliquo, sed in patibulatorum veteri esse Calvariâ existimarem. Quanquam eadem horrida scena è socia Christi Cruce mihi floruit in Paradisum. Proh quanto me dies illa gaudio beavit, quâ Christo confixus esse Cruci cœpi! Mutatam ex illo mentem cœpit oblivio uxoris, cognationis, & domus: subiitque ingens cupido irrisionum, & pœnarum pro Crucifixo Deo perferendarum. Quin & afflatu divino sæpius impulsus, Christiani Orbis magnam partem peregrinabundus pedes obibam, perque Vrbes, perque Oppida, perque Villas linteo sacco albatus genuum tenus, cætera nudus: prolixâ comâ, & barbâ impexus, & hispidus: facie jejuniis exesâ horridus: robustâ voce intonans: prælato Crucis signo, & humani capitis osse vel manibus eloquens, peccantes ad pœnitentiam revocabam, contumacibus bellum, famem, ac pestilentiam comminabar. Salubriter tamen asperum Monitorem, contumeliis, crebroque fustuario excipiebat ingrata mortalitas, meque stultorum stultissimum caput inclamabat. Ego verò fruebar assiduo illo, ubique terrarum obvio, vetera mea dictorum, factorumque crimina plectente supplicio. At cur mihi vita inter supplicia diuturnior, & pertinacior? Nempè divinis viribus fiebat, ut inediâ nutrirer, & mortibus viviscerem. Quoties in longinquis, & ferè annuis ad Sacram Divi Iacobi ædem in Gallecia obitis peregrinationibus ex innumeris vitæ periculis mirè corpus exemit, qui mortuo pridem animo vitam redonaverat? Quot me carceribus arctissima hospitii vincula obligarunt? Quot incussos robustos scipiones victrice tolerantiâ debellavi, & infregi? Quoties post accepta lethalia vulnera ex ipsa morte convalui, ut sæpius

pro

pro Christo morerer? Iam verò quæ referam, si certa publicæ fidei argumenta non suppeterent, incredibilia videantur. Romanum ego excidium, quod imminebat, perdius, ac pernox horrendo per Vrbem clamore vaticinabar. Sed iniqua vaticinio merces respondit. Nam sæpius exilio multatum, ac dein culeo sive sacco inclusum cum adjuncto lapidis magni pondere in profluentem Tyberim me vatem projiciunt, minaci cum voce me tum demersuri. Attamen innocens brevi veritas enatavit. Ad suburbanam sancti Pauli ædem propter portam trigeminam divinitus incolumis emersi, & postero die in Vrbem repedabam immersabilem saccum trahens lutulentus, & multum naufragæ mortis ore semivivo præferens. Fortè accidit ut eâdem die Pontifici septem Vrbis templa obeunti occurrerem, terrifico, & vocalissimo sono Romanæ cladis minitabundus præco. Exhorruere omnes aspectum, & vocem hominis à naufragio redivivi. Exitus hic breviter tragicus fuit. Ego trudor in carcerem, ne publica, & libera vox ultra consternatam attonet Romam. Mox improvisus adest, belli fulmen, Borbonius: neque de cœlo, sed Ianiculi aureo de monte irrumpens, Vrbem universam miserabili tangit excidio. Vix elapsus Pontifex ad Vrbis veteris prærupta perfugit munimenta. Conciliata ex eventu verbis meis popularis fides me credidit è fatuo fatidicum. Iam quâcumque ingrediebar, velut ad oraculum Italia confluebat videndi, audiendique avida. Præter vaticinandi afflatum, aliis me donis planè mirandis suspiciendum reddidit Deus. Cum in hominum cœtu essem, evanescebam repente, alibique ac procul eram, immensa flumina sine ope navigii, aut naucleri transmittebam: populorum ad quos pervenissem, scelera sagacissimè odorabar, & audacter quemcumque vel primarium virum dictis atrocibus castigabam. Quàm multa exteris hominibus, quàm multa nostris Senensibus exprobravi. Atque hi utinam dicto audientes fuissent: profectò ab me sæpissimè prædivinata, & postremo divinitus immissa diuturnæ, gravissimæque ultionis fulmina in publicam, privatamque rem non

Clemens VII.

provocassent. Sic ego velut alter Ieremias, non quidem Anathotites, at suburbanus, patriæ calamitates ultimas lamentabar. Neque verò Senis tristia dumtaxat, sed etiam fausta sæpius præcinui, cum in Provenzano vico immensi thesaurum pretii delitescere præmonebam. Quæ sanè, quæ potuit ditior inveniri gaza, quam Deiparæ solida imago Virginis in eo præsertim loco, unde castitas, & virginitas exularet? Meminisse licet, cùm ejusdem Virginis Magnæ Icon è coctili creta à capite ad pectus expressa, supraque domesticum ostium cavato in loculo condita insignibus repentè, mirandisque beneficiis clarere cœpit: & urbani, exterique cultus celebritatem excitavit. Eos deinde progressus habuit Senensis pietas in colendâ Patronâ suâ benevolentissimâ, ut eidem novum ibidem templum cum opere, tum opibus magnificentissimum statuerit: effeceritque, ut Sena vetus, senio temporum, & rerum confecta, erga cœlitem Reginam suam obsequio vigere, ac juvenescere videretur. Sed ego (ut ad me revertar) annis sex ac sexaginta priscâ in libertate nutritus cum illâ expirante expiravi pridie Idus Majas anno à Virgine puerperâ millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto. Triplici Senarum urbem exercitu diu obsederat Carolus Quintus: jamque in proclivi erat, ut inclyta Respublica liberas manus servilia in vincula insereret: cum ipse publicas ærumnas miseratus, quâ poteram ope obsessis civibus succurrebam. Inter labores, doloresque communis mali senilis sanitas, & vita morbo, mortique succubuit. In ædibus Ioannis Baptistæ Boninsignii ad fontem, cui fecêre nomen à sancto Iusto, septuagenarius morior genibus flexis supplex, & orans, ut è temporaria in sempiternam libertatem transmigrarem. Sic moribundas inter preces mihi prior justa persolvi. Cadaver in proximam sancti Martini ædem comportatum, & insepultum triduano spectaculo venerandum traxit, ac tenuit universam civitatem: magnoque apponebat lucro, qui de vilibus corporis mei exuviis piè surripere aliquid posset. Vides quantum etiamnum in religionis honore, ac pretio

2. Iulii an. 1594. per hanc Iconem in extimo ædiculæ cujusdam pariete locatam admirabilia munera à Virgine concedi vulgatum primitus est. Illi insigne templum erigi cœpit 24. Octob. 1595. absolutum deinde 20. Maji 1602.

tio

tio curtam habeant Senenses supellectilem meam. Saccaria tunica in Divi Martini cœnobio cum capitis humani osse, quod circumferebam, sericis involucris tecta inter occlusam arcam reverentissimè custoditur. Catenam verò verberei corporis domitricem contigua Divi Martini templo sancti Antonii sodalitas ad fornicis transtillum tanquam triumphale vinculum suspendit. Vobis si cupîdo incessit mei videndi, habetis in Provenzanæ Virginis templo ad lævum latus simulacrum meum perpictum. In eo me vobis fingite staturâ commodum, colore fuscum, constitutione lacertosum, ut propterea vulgo à robore dicerer BRANDANVS: cute asperum, oculis à pervigilio cavis verendum, comâ in humeros inconditè fusâ, promissâque barbâ hispidosum, voce absonâ, minacique terribilem, aspectu trucem, victu parcum, cibo, citra carnes, caseum, & ova, illiberali contentum, raroque vino ferè abstemium. Denique templi ejusdem sacrarium Crucis æneæ mihi aureum, pretiosumque gestamen asservat. Iam verò etiam immortalem audiat è cœlo ità concionabundum terra BRANDANVM. Hanc documento meo discite mortales à Deo decretam esse scansilem legem, ut à Cruce transeatur ad cœlum.

Ex Herrera in Alphab. Augustinian. L. B. Aloysio Torello centur. 4. cap. 94; Zacharia Borierio in Annal. Bouerio *Capuccinor. Angelo de Bardis in Hist. Senens. & Iugurtha Tomasio in iisdem histor.*

B. AVGV-

B. AVGVSTINVS NOVELLVS,

Ordinis Eremitarum S. Augustini.

XIX. *Maji.*

NEminem æquè unquam secunda, ac AVGVSTINVM adversa reddidit fortuna felicem. Terranova Siciliæ castellum, olim Heraclea, nascentem MATTHÆVM excepit (hoc enim illi tunc nomen inditum) quo se receperat nobilis ejus pater, ardentes intestinis tumultibus Senas pertæsus. Adolescens, suavis indolis, ingeniique perspicacissimi specimen dedit. Mox humaniorum, graviorumque disciplinarum laureis insignis è magnâ Lycei Bononiensis exedrâ sacri Iuris oracula evolvens, eximio cum plausu exceptus est. Placuit tamen MATTHÆO ex Palladis ad Fortunæ palæstram, regalem scilicet aulam transire: præsertim alliciente juvenem comitate, qua Manfredus Suevus Senenses eo tempore complectebatur. Brevi spectata viri virtus, & industria Regis animum ita cœpit, ut in secretorum, & consiliorum omnium communionem admissus, unus omnia posse videretur. Sed Fortuna, quæ in MATTHÆI sinum se penitus infundere visa erat, ut scorpius ultimâ sui parte percutiens, supremis Regis ruinis gratiosissimum quoque aulicum propemodum involvit. Manfredo quippe à Carolo Andegavensi, S. Ludovici Galliarum Regis germano, pugnâ memorabili devicto, ac cæso, vix MATTHÆVS imminens fatum occultâ in Siciliæ Insulam fugâ valuit evadere. Sed ecce tibi novum in portu ipso naufragium, ex lethali videlicet morbo, quem ex animi angoribus, & gravissimâ prælii, fugæque maritimæ jactatione contraxit. Divina verò providentia salutem per ipsa discrimina afflicto, jacentique molita, animum ejus ad seriam de relinquenda omni sæculi vanitate cogitationem adduxit:

Anno 1265.

xit : quippe cura non mediocris exercitum vehementer, ac ſollicitum habebat, quòd manifeſtè ab officio Chriſtiani hominis diſceſſiſſe videbatur, qui Manfredi Romanæ Eccleſiæ perduellis, ac diris, & anathemate Pontificio devoti partes ſequutus eſſet. Vt igitur in æterni Principis gratiam planè bonâ fide rediret, ex voto illi ſe obſtrinxit, ſi meritam adverſus ſe iram non diſtringeret, ſed productiori vitâ tempus pœnitentiæ largiretur, ad reliquos dies intra Religioſa clauſtra quàm poſſet ſanctiſſimè exigendos. Supplicem receptum in gratiam eſſe, recuperata repentè virium firmitas abundè prodidit. Iam verò voti reus cum Dominicanum ad ordinem ſe conferre ſtatuens domeſtico præcepiſſet, ut ex iis Patribus aliquos ad ſe acciret, quæ fuit Dei voluntas, famulus præſcripti oblitus aliquot ex Auguſtinianis adduxit. Quod iterum, ac tertio accidere miratus, licet Dominicanorum nomen clariſſimè ingeminaret, intellecto ſuperûm conſilio, Auguſtinianorum familiæ aſcribi petiit. Hujus facti admirabilem ſeriem videre eſt coloribus expreſſam in arcâ ligneâ, quæ olim B. Viri corpus ſervabat, nunc autem in editiori parte ſacrarii Auguſtiniani Senis eſt collocata. Accepto religioſo habitu nomen Auguſtini ab Ordinis fundatore, quod in primis optaverat, ſortitus eſt. Ingenium, doctrinamque à tanto nomine minimè abhorrentem à ſingulari humilitatis ſtudio occultare conſtituit, quo veteri animi elationi, & immodicæ gloriæ cupiditati efficaciùs moderetur, eaque de cauſa diſſimulatâ prorſus omni litterarum notitiâ inter Converſos, ut appellant, aſcribi curavit, majore tunc ſtudio in ſui vilitatem, & contemptionem intentus, quàm quo ad gloriam olim, & potentiam niſus eſt. Centonem proindè, ac ſub eo cyniphiis villis rigeſcentem interulam induere; reliquiis ex fratrum menſâ collectis in diem ſemel, & parciſſimè veſci; linguam, quæ tanta cum laude in litteris, ac rebus gerendis erat verſata, contumaci ſilentio obſtringere, vel in Divinas unicè laudes, ſed ſimplici ſtylo exolvere; in ſua geſta ſeveriùs inquirere, & humillimis muneribus jucundiùs operam dare. Ita verò in his

diem terebat, ut psalmodiæ statis horis haberi solitæ interesset: imo cæteris ex Odæo recedentibus, iis, quæ recitaverat, ad divini luminis radios expendendis diutiùs immorabatur. Sed operæ pretium fuit, ut præstantissimæ S. Viri virtutes, quæ ipsius commodo tam benè diu latuerant, publico tandem bono in lucem exirent. Cum enim è Siciliâ in Senarum ditionem à Moderatoribus fortè remissus esset, contigit ut jura asceterii, quod à S. Lucia Vallis Rosiæ dicitur, ab ipso inhabitati iniquissimâ lite vexarentur, eaque de causa res ejus familiaris maximas in angustias esset adducta. AVGVSTINVS proindè, animum religione subeunte nisi quà posset suis prodesset, domesticum Procuratorem rogavit, ut ad scribendum opportuna sibi suppeteret. Enimvero ridere primùm ille talem injectam mentem homini, ut rebatur penitùs rudi, & satis ne sanus esset, vereri; sed ut à continua petentis molestia se liberaret, quæ poscebatur indulsit. Nec mora: remotis arbitris cum AVGVSTINVS pauca exarasset, eidem Procuratori exhibuit, ut prævalido adversario Iacobo de Pagliaresiis legenda deferret. Quod cum ille rei novitate, & quasi miraculo jam non leviter affectus è vestigio Senas convolans præstitisset, Iacobus in perbrevi scripto rationum pondus planè gravissimum suspiciens, exclamasse fertur: Vel ex Inferis, vel è cœlo Angelus, aut certè incomparabilis Doctor MATTHÆVS ista descripsit. Multo etiam altius obstupuit, cum audivit, à Fratre famulatibus destinato, & qui nec à limine Minervam salutasset, talia in codicem esse relata. Quamobrem Rosiam celerrimè se conferens, ubi MATTHÆVM suum conspexit, & probè agnovit, imperare sibi non potuit, quin obortis lachrymis in amplexus, & oscula rueret Capitis amantissimi, frustra rogantis ne de quiete, qua feliciter humilis fruebatur, ipsum prodendo deturbaret. Coacto igitur Patrum illorum cœtui Iacobus exposuit, quantus vir inter ipsos hactenus latuisset, in ejusdem gratiam de veteri contentione decedens, incredibili cum omnium plausu causam cœnobio adjudicare passus est. Vt autem Paglia-

Pagliaresii de AVGVSTINI sapientia judicium quo decet in pretio habeas, scias hunc esse celeberrimum illum Iacobum, qui primus titulo Lectoris Primarii anno MCCCXX Civilia Iura explanavit in Patria, quando descis centium per conspirationem à Bononiensi Lyceo discipulorum exterorum concursu, instaurata est amplissima Senarum Academia. Hoc itidem munere Perusinam Vrbem postmodum illustravit, ubi cum multis aliis de causis, tum præcipuè Baldo auditore longè clarissimus fuit. Nec minus à fratre Galgano Massæ Episcopo splendoris accepit, quam sanctimonia, & rerum præclarè gestarum laude inter primos Ecclesiæ proceres floruisse fama est. Cæterum AVGVSTINVS (ut ad propositum redeamus) in sordidis hactenus, contemptisque ministeriis summa cum Christianæ modestiæ laude versatus, ubi primùm cognoscendæ ejus virtutis copia fuit, summo in pretio esse, omnium sermonibus, & prædicatione celebrari, nihilque tam arduum, ac tam sublime, quod industriæ, fideique ejus rectè committi non posset, judicari cœpit. Itaque jussu Clementis de Auximo, supremi tunc Augustinianorum Ordinis Magistri, sacris ordinibus initiatus, à Nicolao Quarto summo Pontifice Romam evocatus est, & summa cum potestate exercendo Apostolicæ Pœnitentiariæ muneri præfectus. In cujus administratione provinciæ adeo prudentiam suam, gravitatemque non modò Nicolao, sed & Cœlestino, & Bonifacio Nicolaum sequutis, probavit, ut consilio ejus maximis in negotiis sæpius usos, plurimum authoritati tribuisse, ac libertatem, & nonnunquam arguentis, monentisque patienter tulisse tradantur, amplissimisque in ejus gratiam Augustinianam familiam beneficiis affecisse. Vidisses interim illum virtutum omnium, sed præcipuè modestiæ retinentissimum, & planè grandiorem, non elatiorem: mirante seipsam animi demissione æquè nunc in excelso tutam, ac fuisset olim in humili. Verum AVGVSTINVS fortunam cum sævit, & cum parcit ex æquo malam jamdudum intelligens, aulæque qualiscumque ingenium Chri-

Iacobus Pagliaresius Baldi præceptor.

Senec. in Med. act. 3. sc. 2.

ſtianæ perfectioni admodum adverſarium arbitratus, maximè poſt acceptam à Bonifacio Pontificii ſacrarii præfecturam, quo honore majorem ſibi quàm anteà verſandi in hominum luce neceſſitudinem impoſitam videbat, ad privatæ vitæ ſuæ, ſuorumque nemorum veteres umbras magno cum deſiderio reſpexit, utque ad illas redire ſibi liceret, quæſitiſſimis à Pontifice precibus impetravit. Et jam, horum ſub tegmine non ſylveſtrem muſam, ſed laudes aſſiduè modulabatur ipſis cœleſtium civium auribus dignas. Cum ecce tibi è ſanctiſſimo otio vir non ſibi dumtaxat, ſed omnibus natus revocatur à generalibus ſui Ordinis Comitiis Mediolani habitis, in quibus vel abſens, unanimi omnium ſenſu ſummus moderator fuerat renunciatus. Ad ejuſmodi nuncium lachrymis, ac multo pudore ſuffuſus AVGVSTINVS obfirmato animo ſe tanto muneri ſubducere conatus eſt; ſed acriter contra tendenti ſummo Pontifici obſequi neceſſe fuit, cum ſuper ſolitum regendæ totius Auguſtinianæ familiæ laborem omnem ejus inſtituti rationem recognoſcere, & rejectis quæ vetuſtate exoluërant, præſentem ad uſum univerſa accommodare juberetur: quod onus ille ſumma cum aſſiduitatis, & prudentiæ laude ſuſcepit, curavitque, itemque inter cæteram ſui muneris adminiſtrationem, mirificam in tractandis animis neceſſariæ ſeveritati dexteritatem admiſcendo: quibus artibus tantum ſibi charitatis, ac benevolentiæ apud omnes quæſivit, ut proprium ejus regimen, atque perpetuum contra morem à majoribus acceptum univerſa familia ſibi petiverit. A qua mente adeo vehementer abhorruit, ut ante expletum biennium coacto Neapoli Generali conſeſſu ſe Magiſtratu abdicaverit: licet Rex ipſe Carolus Secundus, qui ea comitia Regali præſentia honeſtavit, enixè virum rogaret, ut ſuorum precibus inflecti pateretur. Carolus porro quanto in pretio AVGVSTINI virtutem haberet, illuſtri argumento teſtatum volens, Regiâ dextrâ dono ipſi obtulit Caput Sanctiſſimi Euangelicæ hiſtoriæ ſcriptoris Lucæ, quo exinde Auguſtinianorum Templum viſendum inter cæteras Neapolitanas Eccleſias, & nobile

Hujus doni largitio cernitur in icone pervetuſta apud Senenſe ſacrarium Auguſtinian.

nobile in primis est habitum. Posito itaque regiminis onere lætissimus, ea ex urbe discessit AVGVSTINVS, & Romam, quo Bonifacius illum iterum invitaverat, ex itinere declinans, in eremum Senis proximam secessit; quam S. Leonardus antequam ad patriam Galliæ regionem remearet, asperrimo vivendi genere nobilitasse traditur. Ibi quasi consciæ arbores, & saxa ipsa vocalia Divinos Leonardi amores, laudatamque erga se ipsum severitatem, AVGVSTINI sensibus ingererent, mirum quantum novus hospes excitabatur ad debita antiquis noxis supplicia à semetipso exigenda, eaque opera ad majora sibi in dies divinæ gratiæ munera concilianda. Licet autem solicitudini vacare videretur; attamen & adventantes velut ad sylvarum oraculum Cives Divini Spiritus muneribus ditatos remittebat, ac ne urbem quidem hujus suæ liberalitatis fructu expertem egregius ruris incola passus est, quippe auctor in primis fuit instaurandi religiosissimi apud Senas Ordinis fratrum à S. Maria, operam suam magno Nosocomio devoventium, quod olim à B. Sorore institutum est. Cernere adhuc est inter picturatos antiquitus Nosocomii parietes, ejus loci insignia referentes, AVGVSTINVM sacram vestem genibus suis advoluto Nosocomii Moderatori impertientem. Qui ad egentium levamen Senas interdum se conferebat, sed adeuntes ad se in solitudinem cives multo frequentioribus spiritualium colloquiorum solatiis recreabat. Testis præ cæteris Præpositus quidam è nobili Salimbeniorum genere, impotenter parentem recens elatam desiderans, qui ab AVGVSTINI sermone, tantum molestiæ, dolorisque sui levamentum accepisse dicitur, ut exclamaret, Ad tam dulce lenimen comparandum longè etiam graviora fortunæ vulnera placuissent. Optimè adeo meritus de terrestri Patria, ad cœlestis tandem præmia evocari meruit ab Angelo, qui spectabilis illi nuncium optatissimum tulit. Hinc veterem morem ductum esse nonnulli autumant, AVGVSTINI imagini proximam Angeli effigiem ad aures eum alloquentis collocandi. Morti jam proximum densâ involvi

Obiit S. Leonardus Lemovicis in Aquitania 6. Novemb. an. 559.

volvi luce conspexere Religiosi Patres, aliique quamplures Senarum Cives, qui ad supremum obsequii munus accurrerant: donec discreto à membris spiritu, radiosa serenitas simul evanuit. Scilicet nonnisi splendidè personata ad illum accedere Mors est ausa; erubuitque propriâ in specie se sistere Triumphatori suo, à quo duo corpora erepta olim sibi, atque ad vitam revocata meminerat. Ab obitu laureatam AVGVSTINI animam inter superûm plausus cœlum conscendere intuitus est B. Petrus à Camerata è longe dissito Montisciani cœnobio. Par quippe fuit, ut cœli testimonio beatissima comprobaretur illius mors, qui in sylvis, hoc est teste Cœlo, tam sanctè vixerat. Orbata tanto cive Patria publici doloris haud vulgaria signa prætulit justis funebribus plura per templa splendidè, & magnificè constitutis, adeoque ejus in laudes omnium ora effusa sunt, ut quæsitum illi pridem Romæ AVGVSTINI NOVELLI titulum solennem, & publico sermone celebratum effecerint, quo redivivus in eo veteris illius Doctoris Ecclesiæ ipsi cognominis spiritus designabatur. Reliquiæ sanctissimi viri ad altare ejus honori dicatum Senis in Ecclesia S. Augustini compositæ magna populi veneratione coluntur, quo in altari ejus imago speciem ferentis opem, multique mortales eâ protecti cernuntur. Vno dumtaxat digito excepto, quem Himerenses apud Siciliam pretiosissimi Thesauri loco obtinere dicuntur.

Anno circiter 1310. 19. Maji.

Ex vitâ antiquitus manuscripta in bibliothecâ Senensi Congregationis Ilicetanæ, ex B. Iordano de Saxonia in vitis fratrum, Herrerâ in Alphab. Augustinian. Gelsomino in Thesauro cœlesti pietatis erga Virginem cap. 22.

B. BAR-

B. BARTHOLOMÆA,

Virgo, Tertii Ordinis Servorum B. V.

XIX. *Maji.*

BARTHOLOMÆÆ virtus B. Francisci Tarlatii disciplina crevit, stetitque; ejus enim opera diligenter exculta atque ad capessendam Servorum Deiparæ Virginis familiam adducta, tantos in omni Christianæ pietatis laude progressus fecit, ut meritò in sui admirationem omnium animos converteret. Præcipua illi pudicitiæ custodiendæ cura fuit, utque à cætera omni labe vacaret, inconniventibus animi oculis excubabat. Centies in singulos dies certas ad id impetrandum preces, insertis in unaquaque IESV, & Deiparæ nominibus allegabat in cœlum, & quamquam præter nonnullam verborum in tenera ætate levitatem, nihil habebat, quod sibi displicere deberet, impatienti tamen quodam nitescendi apud Deum studio genua sacerdotis quotidianis accessibus fatigabat, nullumque propitiandæ suis lapsibus divinæ gratiæ faciebat finem. Castigatæ hac tam curiosa diligentia menti res non magni negocii fuit admirabilis illa securitas, qua subtiles Dæmonis insidias feliciter eludebat. Vt cum aliquando cibum fortè capiens exprobrantem intempestivè sibi atrum genium audivit, quod satis constanter jejunium non obiret, seque à levi tolerandæ famis incommodo turpiter vinci sineret; Risit enim vero prudentissima fœmina adeo mutatam callidi serpentis personam, ut qui gulæ illecebris mundum in ipso humani generis exordio perdidisset, severæ nunc abstinentiæ author esse videri vellet. Quapropter gratiùs inde atque avidiùs edens, teterrimum hospitem devictum sese fatentem è vestigio fugavit; insigni documento relicto, in afflictationem facilè nimiam excurrentibus, haud semper abstinentiâ corporis animum refici. At hostis, licet quotidiè profligatus, ausus est in morientem BARTHOLOMÆAM validis insidiis

sidiis insurgere. Opportunè tamen spectabilis adfuit è cœlo beneficentissima servientium sibi Virginum Patrona, tartareoque tenebrione eliminato, ad supremum usque spiritum non minus quàm beatam oculis serenitatem, serenam decumbentis pectori tranquillitatem indulsit. Sacrum BARTHOLOMÆÆ caput in Senensi Servorum Templo pretiosâ conditum thecâ vi admirabili pollet, è piè venerantium corporibus sive ægritudines, sive infestos dæmones proscribendi. Quin etiam ferunt, centum circiter abhinc annis ad periculum veteris sanctimoniæ faciendum, idem caput à nonnullis in ignes conjectum, incombustum, ac planè illæsum perstitisse. Vt liqueret in hoc virginali Lilio locum non habere magnam illam mortalium admonitionem, quæ spectatissimè florent, celerrimè marcescere. Tam sanctæ Virginis exemplum quamplurimum Senensium fœminarum pietatem mirum quantum excivit ad cœlestis Dominæ felici servituti sese ultro devovendas. adeò ut ob crescentem in dies earum multitudinem Agnes Malavolta, eximiis virtutibus, insolitisque Deiparæ favoribus inclyta, anno MDXXV cœnobium à Visitatione Virginis nuncupatum illis, sibique statuendum duxerit; ad cujus amplificationem Clemens ejus nominis Septimus Pontifex Maximus operæ pretium censuit, gravissimis litteris Christianum Orbem universum provocare, proposito per noxarum Indulgentiam sacrorum thesaurorum compendio. Quod verò nulla civitas provehendo Servorum Virginis instituto studiosior hac nostra fuerit, quæ peculiari quodam nexu Reginæ cœlestis obsequiis adstringitur, documento sunt non modò amplissima ædificia, possessionesque, ac reditus in id insumptæ, sed quòd è primaria ejus nobilitate gravissimus, & cordatissimus vir extiterit, qui sensim defervescentem in religioso Virginis cultu ordinem, illum ad veterem sanctitatem rursus alacriùs ardentiúsque induendam succenderet. Antonius Salvanus hic est, *cujus Spiritus* (ut ipsis Archangeli Gianii Florentini verbis utar) *vera illa Religiosorum diu intermissa sanctiori pristinæ disciplinæ restituit.* In annal. servorum B. V. centur. 2. lib. 5. cap. 4.

Obiit anno 1348. 19. Maji.

Plin. lib. 21. c. 1.

Agnes Malavolta Tertio Servorum B. V. ordini cœnobium statuit ad urbis portam, quæ à S. Ansani adventu dicitur.

Antonius de Salvanis Servorum B. V. ordinem sanctiori

termissa observantia, rursus in Senario Monte revivi-scere visa fuit, & quem proculdubio Patres illi de Observantia Antesignanum suæ congregationis miris laudibus extollunt. Is enim ab anno MCCCCIV. *usque ad* MCCCCXXI. *locum illum incoluit cum maximâ observantiâ, & quasi collapsum æquè moribus, ac ædificiis restaurandum curavit, & in pristinum Religionis splendorem multis undequaque Religiosis illuc accitis restituit; ac tandem senio, & assiduâ pœnitentiâ confectus, quippe qui perpetuam jejunando quadragesimalem observantiam servasset, die* 2. *Novembris anno* MCCCCXXI. *eâ porrò die, quâ universalis Ecclesia pro Defunctis orat plenus dierum occubuit, particeps, ut diu efflagitaverat, statim effectus eorundem suffragiorum, quæ pro animabus in Purgatorio degentibus tunc Deo offerri præcipuè consueverunt.* Hæc de Antonio Gianius. At si ita est, Virgo Maxima, quæ in ipso ejus Ordinis exordio, ut sibi atratæ, indolentique Divini Filii morti, pullo in habitu, atque inter sanctioris pœnitentiæ lachrymas condolendo solatio essent, Servos Religiosissimos excitavit, an non Senenses, tantùm in id egregii operis impendentes, nihilominus quàm Philippenses Paulus *gaudium suum, & coronam suam* compellare merito poterit? Cap. 4. Epist. ad Philip.

Ex Archangelo Gianio in Annal. Servor. B. M. V. centur. 2. lib. 2. cap. 1. & ex monumentis Cœnobii Senensis ejusd. Ordinis.

S. BERNARDINVS ALBIZESCHIVS,

Ordinis Minorum.

XX. Maji.

QVo anno Catharina Benincasia decessit, eodem, nempè trecentesimo & octogesimo supra millesimum natus est BERNARDINVS ALBIZESCHIVS: ut unâ avulsâ aureus alter non deficeret. Diem verò natalem cum ipsâ Deiparâ communem habuit sexto Idus Septembris: ut illustri natali die penitùs aurescerer. Aurum certè prænituit primulâ in indole virtutis, cum ad minusculas excitatas pueriles aras lacteâ suimet corculi victimâ litaret: cum Deiparam sibi pudicam *elegit amicam ab adolescentiâ suâ*: cum duram duris in asseribus vestitus noctu quietem caperet; cum cibi, quanquam vulgaris, parcissimus famem non expleret, sed irritaret, cum liberali formâ puer hominem procaci audaciâ ad flagitium provocantem cœlesti, quià pro cœli causâ, lapidatione liberaliter fugavit, cum ad virtutis labores semper impiger quovis temporis momento æternitati fœnerabatur: cum in egenos opis humanæ ab incunabulis misericors, nutricio Misericordiæ lacte adolevisse videbatur. Piacularis agebatur annus millesimus quadringentesimus pestilentiâ sævus, sed amplissimâ noxarum veniâ Romæ promulgatâ nullo morbosi anni respectu pia innumerabilium peregrinorum agmina ultrò citróque transmittebat. Cum autem vis morbi è prætereuntibus plurimos in Senensi Nosocomio decumbere cogeret, quibus consuetus administrantium numerus impar erat, BERNARDINVS cum duodenis juvenili, robustâque ætate, ac pietate sociis, dux ipse, authorque consilii Ioanni Iandarono publici Valetudinarii Præfecto alacriter obtulit sese ad unaquæque ministeria Mini-

Ioannes Iandaronus (non verò Laudarinus ut aliqui scribunt) magni Nosocomii Rector eximiâ probitate præstitit. Sylvan. Razzius in vita S. Bernardini.

Ministrum. Nec mora. Protinus operi se accingunt splendidè abjecto, perque contagiosos menses quatuor naviter adurgent. Attamen ut ore, sic opere antesignanus BERNARDINVS tam longè aliis præibat, ut claves Iandaronus fermè omnes, universamque Valetudinarii administrationem ejus fidei, prudentiæque commiserit, cui publicæ conclave benevolentiæ morum facilitas pervium faceret. Cæterum inter tot ægra mortalium corpora BERNARDINVS non ægrotavit. Vsque adeò medicata est, ac valida Misericordia, ut sibi valeat, dum aliis medicinam facit. Primævis hisce prælusit rudimentis adultæ, religiosæque sanctitati. Nam quanti illud postmodum fuit, inclytum Euangelii, & saluberrimi Nominis IESV præconem, quod aureo compendio in tabellâ inscriptum,& aureis radiis circumfusum à concionibus adorandum proponebat, ex perditorum hominum invidiâ falsis testibus confirmatâ, hæreticæ improbitatis delatum, & Pontificali Martini Quinti potestate habendis in posterum concionibus interdictum, lentè leniterque tolerasse; donec præpollens calumniæ innocentia Pontificis ejusdem verbis honorificentissimis in pristinum dignitatis gradum revocaretur. Sed nescio an tolerantia in adversis, an verò in prosperis sui fuerit moderatio mirabilior. Tres ibi certatim Vrbes percelebres, Senæ videlicet, Ferraria, Vrbinum ab Eugenio Pontifice hujus nominis Quarto Episcopum BERNARDINVM deposcebant. Conatus quidem Pontifex est BERNARDINO persuadere, honorato ut oneri succollaret. Sed is onerosos honores calcare obstinatè maluit, quàm sibi superimponere, novo more, non capite, sed pedibus Atlas. Iam verò quid eloquar cætera, quibus minor est omnis, & impar eloquentia? In Concilio quodam generali Græcè concionatum ad Græcos Græci sermonis rudem: in fluminis trajectu pro negatâ à nauclero cymbâ expanso super aquas pallio eumdem, sociumque impellente cœli aurâ meliore ad Vrbem Mantuam velificasse: Mediolanensis Ducis nec minis deterritum, nec muneribus delinitum ab arguendo

A.

B.

C.

adulationis vitio sacris in declamationibus non destitisse: Coronam stellarum duodecim Virgini Maximæ pro
D. concione BERNARDINO imponenti supra caput illustrissimam stellam astitisse, ut Virginalem Luciferum meridianâ in luce die formosiore præfulgentem susciperemus. E paucis quæ diximus, conjicite mortales innumerabilium, quæ reticentur, admirabilitatem. Neque enim is ego sum, qui audeam universa, quæ ille fervidè dixit, piè gessit, eruditè scripsit, æquare narrando. Id unum non subdere nequeo, BERNARDINVM quasi alterum Franciscani Ordinis Parentem publicè audivisse: quòd videlicet eam familiam laxiori jamdudum vitæ tenore collapsam, ad sanctiorem pristinam severitatem totâ latè Italiâ revocaverit. Sex ac sexaginta natus annos, præmaturè tamen si frugiferam vitam spectes, inclytâ in Vrbe Samnitium Aquilâ diem clausit extremum anno millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, decimo tertio Kal. Iunias. Exinde infinita beneficentissimum cadaver miracula patravit. Vt dimidiatam obiisse mortem BERNARDINVS videretur, qui sibi
E. mortuus, aliis se vivere beneficiorum copiâ, & magnitudine probaret. Quare Summus Pontifex Nicolaus Quintus, & Principum externorum, & Senensium rogatu, sexennio post ejus obitum publicis eundem ad aras honoribus inter cœlites colendum numeravit. Corpus Aquilani magnificentissimo ad id excitato Templo excipiunt, urnâque triplici cristallinâ, argenteâ, ferreâ re-
F. condunt. At Senenses dentem obtinent, nempe semen Civium, non Cadmo serente in se civiliter armatorum, sed in Tartareum generis humani hostem persanctè belligerantium. Superest, ut, qui semen dedit, idem sit in patrio solo sator imitantis sanctissimum satorem sanctitatis.

Ex Act. Canonizationis S. Bernardini, Aloysio Lippomano in vit. Sanctor. tom. 3. Fastis Marianis sub 20. Maji, & ex quampluribus Franciscani Ordinis scriptoribus.

A. Post

A. Post diuturnam consultationem, cuinam è Religiosis familiis vitam devovere satiùs sibi futurum esset, hæc cœlitus injecta species ad Franciscanum Ordinem ineundum, tandem BERNARDINVM permovit. Videre sibi visus est Mundum ingenti adumbratum palatio; cujus validâ correpti flammâ incolæ ruinis involvebantur, si unum excipias, qui ad S. Francisci patrocinium elatis subinde vocibus confugiebat.

B. Euangelici hujus Præconis efficaciam, integris populis Deo, sibique invicem conciliatis mirè probatam celebrans Pius Secundus, de se ipso hæc habet: *Is cum Senis prædicaret, me in tantum commovit, ut paululum abfuerit, quin & ego Religionem suam ingrederer. Sed amicorum preces me retraxerunt, &c.*

C. Prædulces eximiæ in IESV nomen pietatis sensus adolescentis BERNARDINI pectori verbis, exemplisque operosissimis indiderat B. Bartholomæa Albizeschia ejusdem amita. Et verò hujus Divini nominis amoribus ejus matronæ cor usque adeo æstuabat, ut vel publicis concionibus dum aderat, si fortè IESVS inter sacri Oratoris encomia resonabat, imperare sibi non posset quin exiliret, & vehementiorem beatarum flammarum impetum elatis vocibus proderet. Illi tandem nonagenariæ (ad Augustini leges vitam sanctissimè exegerat) suprema Christianæ pietatis, & charitatis officia præstitit obeunti sanctus ipse BERNARDINVS. Neque enim alius quispiam digniùs, efficaciusvè auribus ingerere, & fugitivæ animæ sistere potuisset amabilissimum Nomen.

B. Bartholomæa Albizeschia in IESV nomen fervida pietas.

D. Aliquando etiam BERNARDINI concionantis ex ore lingua nitidissimo quodam igne coruscans in sublime visa est evolare. Hoc nempe cœlestis in Senenses beneficentiæ superarat argumentum, ut post donatam Christi corde Catharinam, Divinâ quoque linguâ BERNARDINVS impertiretur.

E. Præter innumeros, quos BERNARDINVS cœlo transcriptus vario morborum generi exemit, tres extinctos revocasse fertur ad vitam.

F. Argenteam primò quidem arcam pondo 1209. eleganti artificio cœlatam, & quatuor argenteis itidem cervis sustentantibus conspicuam Ludovicus Vndecimus sacro BERNARDINI cadaveri pretiosiùs excipiendo è Galliâ immisit, quod

Ludovicus XI. aureorum millibus supra viginti impensis argenteam arcam condendo S. Bernardini cadaveri Aquilam immittit.

quod imminenti mortis discrimini Regis ejusdem filium Divus invocatus subduxisset. Isti postmodum quâdam hostium incursione per sacrilegi ducis jussum ereptæ Aquilanorum pietas alteram substituit, quâ nunc quoque temporis conditur, solido ex argento confectam, quatuordecim millibus aureorum in id operis impensis.

B. GREGORIVS VII.
PONT. MAX.
anteà Hildebrandus, S. R. E. Archidiaconus Cardinalis.

XXV. *Maji.*

QVæ Soanensem Hildebrandum SEPTIMI GREGORII nomine ad pontificale fastigium, eadem ad cœlum sanctitas evexit. Sunt qui fabrilium in humilitate natalium suam sibi fabricasse virtutibus nobilitatem putent: & pontificiam sibi promisisse dominationem, cum paternâ puer in officinâ è digestis in characteres assulis fortuitâ vaticinatione præscripsit, *Dominabitur à mari usque ad mare.* Sed alii ad fidem congruentiùs asseverant, ex Aldobrandeschiâ ejusdem civitatis pervetustâ familiâ, id est è Senensibus Comitatus Magnatibus procreatum, inter majorum sydera suorum solem præfulsisse. Solis hujusce jubar vidit Cluniacensis Ordo, cum in eo monasticam vitam professus, omnibus præluxit exemplo. Vidit Gregorius Sextus, cum Hildebrandum discipulum habuit indolis nitidissimæ, gloriosique comitem exilii jucundissimum. Vidit Leo Nonus, qui secum è Galliis abductum, quippe aulæ moderandæ prudentissimum, creavit subdiaconum, & œconomum Ecclesiæ Romanæ præfecit. Viderunt Victor Secundus, Stephanus Decimus, Nicolaus Secundus, & Secundus itidem Alexander, qui nihil illo inconsulto peragebant. Denique viderunt purpurati Patres, & sacri, profanique ordinis viri plurimi, qui cum secundissimâ decorum ejus acclamatione Pontificem Maximum renuntiarunt. Acclamatæ

Nicolaum ipse Hildebrandus, Comitia Senis cogens, ad Petri solium evehendum curaverat. A.

clamatæ virtutes illustre sui specimen in apice Vaticano ediderunt. In primis verò pontificalis constantiæ robur, quo Imperatoris Henrici Quarti sæpius audaciam, furiasque fregit, eidemque sacra interdicens ostendit, Imperatoriam quoque lauream non esse à fulmine immunem: eóque principem intendi curam debere Pontificum Maximi, ut concreditæ sacrosancta Ecclesiæ libertas adversus profanæ potentiæ licentiam sarta tecta conservetur. Tum autem se de cœlo tactum intellexit Henricus, cùm fulmineo Pontificis imperio de Cæsareo solio deturbatum se vidit, & Rodulphum Cæsarem ipsi suffectum. Cæterum quæ impios, & contumaces profligabat dextera, pios, miserosque sublevabat. Nec manu solùm, sed etiam mente valebat, gemino doctrinæ, virtutumque omnium præsidio instructissimâ. His opibus sane pontificalibus pactum, æternumque cœli regnum præmercatus GREGORIVS, è Salernitano, ubi obiit, solo adiit octavo Kal. Iunii anno post Virginis partum octogesimo quinto supra millesimum: cum pontificium in terris imperium scissile, inquietumque inter insectationes, inter exilia, inter seditiones, interque captivitates, piè prudenterque multisque clarus miraculis administrasset. Pontificatu benè in terris administrato, speramus illum è cœlo liberaliùs affuturum. Præcipuè verò spem facit patriis dexterum Senis brachium, quod in Æde maximâ obsidem patrocinii argenteâ thecâ inclusum summa veneratione custodiunt. Patrocinaturus nimirum felicissimus animus perpetuam datâ dexterâ fidem obligavit.

B.

C.

Ex Baronio in Annal. Eccles. ab an. 1073. *usque ad* 1085. *Ciaccono, Platina, Panuinio, aliisque in Vit. Summorum Pontificum.*

A. Hildebrandum Pontifices crebrò ad Cæsares in Germaniam, in Gallias quoque ad Concilia Turonense, ac Lugdunense honestissimè delegarunt. Et in Turonensi quidem Berengarium Hildebrandus adegit ad Orthodoxam fidem, cujus

cujus acerrimus perduellis extiterat, obſequenti cultu profitendam. In Lugdunenſi autem Concilio Pontificii hujus Legati ſanctimoniam, auctoritatemque nobili miraculo firmatam voluit Deus. Cum enim ſimoniaci criminis reus Archiepiſcopus quidam artificioſâ vi accuſationes eluderet, ad illum Hildebrandus omnibus coram Patribus converſus: Credisne, inquit, Archiepiſcope, Spiritum ſanctum cum Patre, & Filio unam eſſe ſubſtantiam Deitatis? quo reſpondente, ſe firmâ fide eam veritatem tenere, Legatus ſubdidit: At ſi id reverentiâ, quâ par eſt, credis, proferas itaque celebre illud Eccleſiæ carmen, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Tunc Archiepiſcopus expeditè quidem ſemel atque iterum protulit, Gloria Patri, & Filio, Sancti autem Spiritus nomen nullo unquam conatu edere valuit. Quamobrem ad Hildebrandi pedes cum lachrymis provolutus, ſe in Spiritum Sanctum ſimoniacâ labe peccaſſe, profeſſus eſt publicè.

B. Illud ſanè incomparabile Senarum decus nemo non dixerit, Cæſareo tandem jugo Romanam Eccleſiam exemiſſe per hunc civem ſuum, qui vel dum adhuc inter Cluniacenſes Monachus ageret, zelo æſtuabat Romanæ Eccleſiæ velut ancillæ à Principibus ſubjugatæ, & ſervire coactæ. Atque adeò tunc temporis auctor fuit Leoni Nono, quem ad Pontificatus faſtigium Henricus Secundus Imperator evexerat, ut peregrinantis habitu ſe clam è Gallia Romam conferret, ubi legitimo ſacrorum Patrum ſuffragio ſumma illi dignitas ſtatueretur. Neque verò antè GREGORIVM fas erat Patribus adorare Pontificem, niſi quem Cæſar aut eligendum vellet, aut certè electum ſuo calculo ratum haberet. Cum autem aſſertam GREGORII viribus Eccleſiæ libertatem Cæſares poſtmodum convellere iterum conarentur, tuæ Senæ felicitatis fuit, alterum ſequenti ſæculo Pontificem Romæ ſubmittere Alexandrum Tertium, qui contra Federici Primi Cæſaris validiſſimos impetus eandem ſartam tectam, incolumemque ſervans, perduellis contumaciam triumphali pede calcaret. Vt porrò Eccleſiæ majeſtas uni Deo ſubjacens ſanctiſſimis quoque decretis terrenâ quâlibet celſior exiſteret, ſæculo ſalutis tertiodecimo Riccardus Petronus Senenſis, Iuriſprudentiæ oraculum publicè audiens, magnum illud ſexti Decretalium opus edidit, à Bonifacio Octavo ſacrâ proinde Purpurâ muneratus.

Otto Friſingenſis apud Baronium an. 1049.

Alexandri Tertii elogium in his Faſtis habetur 27. Auguſti.

Riccardus Card. Petronus obiit anno 1313.

C. Poſtre-

C. Postrema morientis GREGORII Septimi verba fuere: *Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem; propterea morior in exilio.* Cui venerabilis quidam Episcopus respondisse fertur: *Non potes Domine in exilio mori; quia in vice Christi, & Apostolorum ejus accepisti gentes, hæreditatem, possessionem, terminos terræ. Paulus Berariedensis in commentariis rerum à Gregorio Septimo gestarum.*

B. PETRVS PETRONVS,

Ordinis Carthusianorum.

LActea res est innocentia, quam cum lacte nutrix immulget. Sic pia ubera non PETRI corpus duntaxat, sed animum quoque lactarunt: dum nisi divino implorato nomine altrix, ut is eadem sugeret, non invitabat. Genuina hæc, & collactea integritas annorum fugam præcurrens, immatura in ætate maturuerat. Nam cum ejus parens Agnes Malavolta virilis sexus filium alterum parere cuperet, cui facere volebat votivum Francisci nomen, nec jam se conceptu plenam animadverteret: puerili aliquando manu sinu parentis permulso PETRVS, *Hic*, ait, *latet Franciscus.* Obstupuit mater bimum infantem, & fari tum potuisse, &, quod ipsa in votis haberet, nulli mortalium communicatum, cum fœtu nomen præscisse, atque adeo vulgasse. Profectò non obstupuisset, si se felix monstrum peperisse reputasset, quod sub infantis aspectu divinæ senem conderet probitatis. Quinquennis patrare audet, quod quinquagenarium absterreret. In celebri domo solitudinem quæritat: mortalium consuetudinem fugitat, ut cœlestium fruatur alloquio: jamque Carthusiam domi proludens, quoad licet, perdius ac pernox, divina contemplatur. An hoc lacteâ in ætatulâ non est morum lactescere senectutem? Hic omitto severas contemplationis appendices, & fructus; octennem stratâ in cubiculi solo storeâ clam parentibus somno victum cubare: gravibus, piisque viris familiariter uti: nobilium epheborum, qui

XXIX. Maji.

qui munditiis, deliciisque corporis delectarentur, familiaritatem aversari: ad egentium, pannosorumque hominum, vel invito, iratoque patre, consuetudinem, & colloquia sese demittere: ut in imo reconditum thesaurum suum, nempe Deum hominem inveniret. Exinde sodalitati Deiparæ, quam à Scala nominant, nomen anno decimoquarto dedit: ut mirandum non sit, quòd miros in virtute progressus fecerit, idoneam qui scalam adhibuerit. Vbi per ætatem licuit morbosos, ac præsertim elephantiacos curaci charitate complectebatur, è morborum contactu salubrior, & mundior. Annos natus septenos denos Senensis in Carthusiæ solitudinem secedit, nunquam tum solus, quia solus quippe qui secum habitaret, haberetque contubernalem Deum, cumque hoc virtutum omnium assеclarum chorum. Quas inter ita sui demissione præcelluit, ut rem sim narraturus omnium sæculorum admiratione dignam, quippe raro singularique facinore patratam. Suscepto jam Diaconatu, initiandus erat sacerdotio. At ejus excelsitati ordinis cum imparem se modestiæ suæ libramento pensitaret: magni ad sacerdotium momenti, ponderisque, sinistrum indicem digitum, sibi cœlo suadente, uberemque pro dolore voluptatem affundente, præcîdit. O religiosæ demissioni strenuè militantem Christianum Scævolam, cujus scæva, sive sinistra manus, non errando, sed in se ipsam collineando verè dexterâ, quia piâ mutilatione, capitis fastum obtruncavit: novoque more inepta vicit. Quare invalidæ manus fama est, & gloria major. Si sacra fecisset, fecerat illa minus. Altissimæ submissionis jacto fundamento reliquarum structura virtutum in eam celsitatem excrevit, quam suspicere quidem silentio possimus; narratione autem permetiri nequeamus. Ex editâ earundem virtutum speculâ mirum non est si longinqua rerum præsenserit, arcana pectorum perviderit. Vt multa sileam, digna certè memoratu est divinitùs perspecta ipsi Ioannis Boccaccii, cultissimi scriptoris, extimâ de facie ignoti, arcana facies vitiis fœdissima, per efficacem admonitorem Ioachimum Cianium ad Christianæ integritatis

Nomen Carthusiensibus dedit Petrus in cœnobio agri Magiani, quod splendidè construendum jusserat Riccardus Card. Petronus.

tatis elegantiam emendata. Probitas autem in PETRO ſpectatiſſima mortales plurimos in admirationem, amorem, & imitationem ſui pertraxit. Vnus fit inſtar omnium, qui ſe ad ejus amuſſim conformavit, Ioannes Columbinus, candidæ à diſciplinæ lacte cœleſtem transfiguratus in Columbam: Cujus autem benevolentiam non extorqueret heroica illa pro revocando ad bonam frugem homine nefario ſexagenis horis ſuppliciorum infernis conſimilium vicaria tolerantia? Iam verò mortem, vitæ gemellam, res pariter admirabiles ſuſpiciendam effecerunt. Etenim Chriſtus ipſe mortis prænuntius clarâ ſeſe in luce videndum exhibuit; ut vitalem fuiſſe mortem interpretemur, quam vita ipſa nuntiavit. Dum decumberet, aſtantibus Ioanne Columbino, aliiſque comparis indolis ſodalibus columbis, divinis de rebus colloquendo cœlum in terras devocantibus, repentino ille præ gaudio geſtire, objectâque veluti cœleſti ſpecie formoſiſſimi rerum Chriſti, cum cœlitibus delapſi, in occurſum, & amplexum exilire: denique ſine horrore, ac mœrore ſupremum placidiſſimè ſpiritum efflare. Ita quarto Kal. Iunias anno à reparatâ ſalute trecenteſimo ſexageſimo primo ſupra milleſimum PETRVS è terreno quinquagenario factus eſt inter cœlites ſempiternus. Idem extinctus nubeculam accendit igneæ columnæ aſpectu in cœlum præclaro paulatim exemplo aſcendentis. Sic in exortu lactea, in occaſu lucida res eſt Innocentia.

Ex Bartholomæo Scala in vita ipſius B. PETRI.

B. IACOBVS CISTERCIENSIS.

XXX. *Maji.*

INter præcipuos nascentis Dominicani Ordinis gloriæ suffragatores nescio an IACOBVM ulli omnino secundum existimem. Cum ad prænobile S. Galgani in Senensi ditione Cisterciensium Asceterium, centum amplius olim Monachis frequens sanctissimi Dominici duo primi Socii ex itinere divertissent; IACOBVM admirabilium virtutum pervulgato nomine insignem exoravere, ut ipsorum Familiam, ad publicum pietatis, doctrinæque compendium nuper exortam, in fidem suam, ac benevolentiam acciperet, interdumque pro incolumitate ejus, & amplitudine Deo superisque supplicare meminisset. Ille in alienam salutem jamdudum eximiè propensus, cœpit illicò attentâ æstimatione metiri, quânam potissimum orandi formulâ cœlestem favorem viris religiosissimis propitiaret. Et ecce sub auroram per Divinas Laudes ex Officio persolutas ipsum Mundi Reparatorem videre sibi visus est, qui descriptum paginâ certum precationis carmen offerebat, jubebatque ut eo statis intervallis inter sacrificandum uteretur, quod quidem, quia & IACOBO sacris deinde operanti frequens, & solemne fuit, & Pontificiâ mox authoritate laudatum, firmatumque est, hic inserere placuit.

Oratio.

Corda famulorum tuorum Domine illumina sancti Spiritus gratiâ, & ignitum eis eloquium dona; & tuum prædicantibus verbum, largire virtutis augmentum. Per Dominum nostrum, &c.

Secreta.

Famulis tuis, Domine, veram tribue gratiam, & munera oblata sanctificans, corda eorum in salutari tuo quæsumus visita. Per Dominum, &c.

Post

Post Communionem.

Conserva, Domine, famulos tuos Unigeniti tui corpore, & sanguine suscepto, & tuum nuntiantibus verbum largitatem tribue gratiarum. Per eundem Dominum, &c.

Cujus quidem precationis vis efficax illustribus mox documentis est declarata, quandoquidem præsens Deiparæ Virginis numen concionantibus Dominicanis hominibus varia, & manifesta specie adesse non semel IACOBO visum est. Atqui jampridem IACOBI oculos purissima morum integritas cœlestibus mysteriis assequendis in lynceam perspicacitatem acuerat, mortalique aurium sensu voces, & colloquia cœlestium civium frequenter admodum usurpare dignus est habitus. Tam familiaris cum cœlestibus commercii, spiritusque futura prospicientis fama longè lateque diffusa Romanos Cives, ipsos Pontifices adeo permovit, ut evocatum non semel ad gravissima maximarum rerum consilia adhiberent. Sed ille immortalem unicè aulam ambiens, cujus munera deliciasque toties prægustaverat, ad illam denique beato exitu provolavit post vitam monasticæ severitatis ad supremum usque spiritum retinentissimam. Illustri IACOBI obitu nobilitari meruit viventi unicè dilectum S. Galgani Asceterium: quod quàm fœcundum fuerit virorum heroicâ pietate præstantium, ex eo quod non multis post annis contigit, facilè intelligas. Nam cum Gregorius Nonus Romanus Pontifex petentibus enixè Florentinis Septimianum Benedictinæ familiæ Monasterium à Salvatore nuncupatum ad priscum Religiosæ observantiæ morem redigere decrevisset, conficiendi ejus negocii causa subsidium ab hujus cœnobii disciplina, institutisque sibi petendum existimavit; evocato indè Foresio celebratæ sanctitatis, ac prudentiæ Monacho, summo inter Senenses familias loco nato, qui unâ cum nonnullis ejusdem propositi sociis in explendo suo munere summo consilio, nec minore facilitate usus est, quippe castigato quidquid in mores, legesque eorum Monachorum temporis, ac præpositorum vitio irrepse-

Anno 1222.

Anno 1236.

rat, tantum nitoris religioſo illi cœtui circumdedit, quantum ad loci nobilitatem in omni Hetruria longè clariſſimam ad hæc uſque tempora deducendam, & conſervandam ſatis eſt. At tu Lector dum Foreſium, aliosque conſimiles Religioſæ diſciplinæ alibi gentium Reſtitutores in hoc volumine ſubindè contemplaberis, Senam non tam Romæ Coloniam, quàm ſanctimoniæ Coloniarum Parentem merito appellabis.

Ex Humberto lib. 1. de vitis Fratrum Prædicat. cap. 1. Abrahamo Bzovio in Annal. ad an. 1221. Barnabâ Montalbo tom. 1. lib. 1. cap. 34. Henriquez in Menologio.

I V N I V S.

B. IOANNES BAPTISTA PTOLEMÆVS,

Ordinis Prædicatorum.

XXIV. *Iunii.*

PRofani nominis, & probroſæ vitæ Annibal in religioſum cœleſtiſſimæ indolis IOANNEM BAPTISTAM pulchrè degeneravit. Quanquam integerrimæ primùm conſanguineæ Neræ piis ad Deum perorantibus precibus reſipiſcens transfuga ſtrenuum pro Chriſto egit Annibalem, & implacabiliorem, quam veterem Romanorum, recentem ſuorum ſcelerum ultorem. At ubi religioſâ in Dominici familiâ ſanctiore nomine renatus eſt, congruente nomini probitate reſpondit. Quarè maximum illum inter natos mulierum IOANNEM BAPTISTAM perpetuâ cibi, potusque parſimoniâ, cilicinâ interulâ, aliâque multiplici vigilis corporis vexatione, ipſam inquietante breviſſimam quietem nudis in aſſeribus, humíve cubatu, diu noctuque continuatâ rerum divinarum contemplatione, alienæ ſalutis acri ſtudio, efficaci concionum ab afflante cœlo

A. facun-

facundissimarum suadelâ, eventorum præsagitione, factione miraculorum, feliciter expressum post multa sæcula geminavit. Hic etiam oblatos à primariis viris amplissimos honores, & à summis Pontificibus tiaras veluti transfusâ, & hereditariâ magno à nomine honorum despicientiâ recusavit. Nec defuit in libidines invehenti suus, & quidem multiplex, Herodes: qui necem sed casso impetu, intentaret. Denique post mortuos ejus precibus revocatos ad vitam, mortuus ipse est Avenione anno à Virginis partu millesimo trecentesimo vigesimo, ipso Divi Ioannis Baptistæ natali die, ut vitalem illi mortem expressa moribus, non minus quam nomine, cognominis sanctitas effecerit: utque eadem dies sic pio hujus funere mortales, ut miro illius exortu exhilararet. Propterea in ejus obitu, cœlo renascentis, Cœlites Mortalium auribus canora hilaria celebrarunt: ejusdemque cubiculum suavi naribus odore vernans, & insolitâ oculis luce diescens, affirmavit, è funebri cubili vitæ immortalis ortam esse lætitiam.

B.
C.
D.

Ex Gregorio Lombardellio in vitâ ipsius B. Ioannis Baptistæ.

A. Non modò nobiliores Italiæ Vrbes, sed Angliam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, atque etiam Asiam mirâ concionum efficaciâ ad pietatem IOANNES BAPTISTA succendit.

B. Prædixit Nicolao à Trevisio Dominicani Ordinis Generali Magistro (qui posteà Benedictus XI. audiit) summum Pontificatum. B. Francisco Senensi Carmelitæ felicem illam martyrii lauream, quam anno MCCC. Cremonæ assequi meruit, pro Fide Orthodoxâ à nefariis hominibus peremptus. Occurrenti celebri scorto imminentem posterâ die cædem denunciavit, nisi illicò resipisceret. Risit impudens fœmina; at mox interfecta æternos gemitus subiit.

C. Inter IOANNIS BAPTISTÆ miracula illud palmare. Dum Neapoli concionaretur, nobilem fœminam planè integerrimam, impudentissimo criminatore instigante, vir ejus perimendam sicario tradiderat. Verùm in eo supremo discri-

discrimine Divinam per sancti Concionatoris merita opem imploranti adesse visus est PTOLEMÆVS, & sacro, quod gerebat, pallio lethales ingeminatos ictus avertere, quoad impius satelles prodigio exterritus, supplex, ac veniam petens abscessit. Nec moratus IOANNES BAPTISTA certam viro de criminis falsitate fidem fecit, utque innocentem uxorem pristinam in gratiam acciperet, obtinuit.

D. Ipse Diabolus modò muliebrem, virilem modò formam indutus, aut sceleratas ad illecebras provocans, aut ad hæreticorum partes enitens illum differendo pertrahere, vel etiam multiplicem larvam ad exterrendum mentitus; miserè semper profligatus abscessit. Triumphanti splendidos Cœlum honores paravit, dum stellam IOANNIS BAPTISTÆ caput ambientem B. Petrus pectinum opifex suspexit. Sed & Angelos alii, beatosque Ambrosii Sansedonii, ac Neræ Ptolomææ spiritus Sancto viro familiariter adesse testati sunt.

BONSIGNORIVS CACCIAGVERRA,

Presbyter.

XXX. *Iunii.*

BONSIGNORIVM CACCIAGVERRAM, flagitiis animum opesque ab ipsâ opulentiâ sumentibus, infeliciter opulentum Panormi mercatorem malus Dæmon, concionator infelix, ad bonam frugem sic reprehendit, & arbor pessima præter morem fructus optimos sic tulit. Dum BONSIGNORIVS res suas curiosus ex muliere à Dæmone obsessâ sciscitatur, universa etiam arcana scelera sibi objici, exprobrarique audivit: & erubuit in posterum facere, quæ suasor ipse infernus criminabatur. Ea verò fuêre sanctitatis, vitium in virtutem degenerare facientis, rudimenta, pudendæ scilicet anteactæ vitæ pudor, non in genis nempe summâ in cute levis, sed seriæ pœnitentiæ igneâ operâ ex oculis ubertim stillatitius: mercaturæ prosperitas, quæ propè jam decoxe-

decoxerat, in egenos liberalior: terrenarum rerum, ſuique contemptus, & multiplex afflictatio: piè ſuſcepta Compoſtellana peregrinatio, in quâ longiùs moribus, quàm pedibus progreſſus, longè alius à ſe ad ſeipſum rediit. Sed in illâ itineris parte inſiſtendum tantiſper eſt, quam optimus Peregrinus tribus millibus paſſuum Compoſtellâ diſtantem fune cervicibus injecto, manibusque poſt terga religatis, gemino à famulo tractus, & excalceatus, ſummâ in Apoſtolum Iacobum religione confecit. Ita nimirum ſiſti ſcelus decuit, peſſundati capitis reum, ante judicem ſanctitatem. Quare ibi vitioſus animi nigror piaculari confeſſione ingenuum in candorem elutus peregrinantis pretium operæ fuit. Quid hic memorem, quas ope fultus divinâ ſexcentas exantlavit ærumnas, à flammeis voluminibus, à marinis tempeſtatibus, à carcerum vinculis, & ab inſidiis immiſſas inferorum? ſed inter obluctantia mundi elementa evaleſcens virtus in eam ſtaturam adolevit, ut giganteis jam viribus non ſuæ ſolum, ſed alienæ complurium ſaluti patrocinaretur. Eadem quippe mirè præſtans, ac perſtans multorum ad emolumentum locorum peregrinabunda, Senenſem inprimis patriam reviſens, ornamentum novæ ſanctitatis invexit. Deinde (ut reliqua taceam) Campaniam, ejuſque principem urbem Neapolim, terræ ubere, deliciiſque felicem, pietatis fruge fertiliſſimâ feliciſſimam ſæpius fecit. Romæ demum diu moratus, inter cætera domicilium diuturnum habuit, & moribus ſuis opportuniſſimum, cui ſodalitas Charitatis à S. Hieronymo nomen impoſuit. Degunt ibi Clerici convictores, quorum plures Bonsignorio, Euchariſtiæ crebrò obeundæ morem inſtauranti diu, multumque obtrectarunt, & obſtiterunt. Verùm demuſſata contumelia illud effecit, ut calumniatorum domicilio ad extremum uſque Spiritum ſanctiſſimè præfuerit. Iam verò viris quoque Principibus carus, & venerabilis, Cæſari præſertim laudatiſſimi nominis Cardinali Baronio, omnis tum profani, tum religioſi ordinis homines votis, & exempli magiſterio ad pietatem informabat: ad cœnæ myſticæ fre-

quentem usum, ævo illo inusitatum, inducebat: innumerabiles autem à dæmone occupatos, & miseris modis exercitos, imperii miraculo liberabat. Factum est aliquando, ut extinctâ Comitis Aversani carissimâ uxore, cui sanitatem, & vitam BONSIGNORII precibus divinitùs impetrandam ille sperabat, spe frustratus tanquam probitatis, & sanctimoniæ simulatorem ad mortem palam, ac diu quæreret. Is tamen Deo confisus patrocinante sic suprema pericula subterfugit, ut hostes Romæ in gravissimis discriminibus ejus auxilium implorantes, humanissimis quà verbis, quà beneficiis, hoc est Charitatis armis, ultus sit. In summâ dives mendicitate, homine non eguit promo, quia Deum habuit œconomum, qui sic illi prospiciebat, quod satis esset, ut parvo viveret lautè ac benè. Effluxerant anni jam quindeni, ex quo redierat BONSIGNORIVS ad frugem: cùm gliscente pietate, sacerdotio initiari voluit. Iam sacerdotis operosâ voce Deum ipsum parabile in epulum concinnans, ac Deo quotidiè saginatus quanto auctu pietatem opimavit! Dicere solitum accepimus, rem esse tempus pretiosissimam, cujus appositam distributionem nisi egregiè cordatus callere non potest: cavendumque propterea, ne qua ejus vel minuta particula depereat, immensâ, & irreparabili jacturâ. Consonabat ori operis documentum: quippe dies noctesque in divinis curis sic partiebatur, ut ipso in otio prudens negotiator esset. Absolutæ quietis osor antelucanâ vigilantiâ surgebat. Matutinæ psalmos precationis ritè recitabat: deinde pœnitentiæ sacramento animi maculas eluebat, & confitentibus aures dabat: tùm Deo divinam Hostiam incredibili sensu pietatis immolabat: sacro peracto, confessiones eorum audiebat, qui vellent sacramentum communionis obire: ad hoc per horam res divinas meditabatur in templo aliquo, domumque reversus aut alienæ vitæ noxas sacramentali cognitione expiabat, aut scribebat, aut lectitabat pium aliquem codicem, aut tacitas Deo preces allegabat: ejus verò prandium frugalitas parabilibus cibis, & pietas mensæ præviâ consecra-

ſecratione, poſtremâque gratiarum actione honeſtabant. A prandio modica meridiatio. Tum aliqua cœleſtium commentatio rerum, aut pia collocutio: ſuo deinde tempore veſpertina precatio. At verò egreſſum domo excipiebat proxima S. Laurentii in Damaſo ædes, detinebatque ſacer, quo plurimum delectabatur, ejus loci concentus: deinde vel Deo tacitus per horam ſupplicabat, vel ad S. Ioannis Lateranam Baſilicam iterum precaturus, vel ad vicinum Noſocomium ægrotos viſurus, juvaturusque procedebat. Domum reverſus ad pium colloquium expoſcentes admittebat: nec antè corpus cœna reficiebat, quàm horariæ animus epulo meditationis accubuiſſet. Si quando nocturnam (ut ſæpe fit) quietem fortuita vigilia interrupiſſet, continuò ſollicita pietas mutas in animo preces excubabat, donec iterum ſomnus obreperet. Ita in publico naturæ otio privatus negotiator felici temporis uſurâ æternitatem prudenter nundinabatur. Iam verò nullum par mutæ tolerantiæ præconium, cum plures per annos domi foriſque conjuratas in unum B O N S I G N O R I V M, qui frequentem ſacramentorum uſum inveheret, omnium petulantes, & impias obtrectationes obſtinato ſilentio confutavit: cumque ob eandem cauſam apud Sacrum Quæſitorem ſacrilegi criminis delatus eſſet, elinguis innocentia accuſationem eluſit. Ponderoſo jam ſenio ingraveſcente, corporis vires ad actuoſæ munia charitatis lapſabant. In illo tamen naturæ torpore ingenioſè agilis virtus per editos duos libellos, tanquam per publicos tabellarios, & Chriſtiani officii Monitores mortalium opportunitatibus diu latéque conſuluit. Quanquam ægro etiam, ac decumbente corpore ſibi, aliiſque ab infractâ tolerantiâ medicinam fecit. Nam duos & ſexaginta natus annos continenti, bimeſtrique febre corripitur. Acceſſit febrienti appendix mala malæ ulceroſæ tumor: qui dum fœdè eminet, medicam Chirurgi cæſionem exigit. Ille autem noluit vinculis de more impediri, aut retineri ad vulneris impatientiam coërcendam: ſed ope Divinâ fretus, immobili tolerantiâ cru-

 ciatum

ciatum solutus elusit. Par eminuit constantia in ejusdem abscessus, è vulnere, ex oculo, ex aure, è naribus sanie scatentis permolestâ trimestri diuturnitate : in exossanda maxillarum parte : atque in ultimo vitæ discrimine Medici voce prænuntiato. Deploratum tamen à Medicis vis divina vitæ redonavit, ut ærumnosa vita fieret ferendo productior, & victoria cumulatior. Nam primùm vitiata genæ abscessio in fistulam occalluit, unde fluens cœlestem sanies patientiam olebat. immò non unum virtutis concentum vultus edebat, quia multiplici è sinu fistulabat. Omitto plurimas, quibus deinde fortiter tolerandis factus est robustior, ægritudines : ut martyrii cupientissimus morbos habuerit assiduos tortores. Sed honoris appetentiam, plerisque mortalium indomabilem quo tormento infregerit, omittendum non est. Cum ageret aliquando Mediolani, piorum cœtum clericorum frequens visebat. Illi curandorum gnari animorum hominem tanquam trioboli, ac nullius pretii cavillationibus, & irrisionibus accipere, incredibilesque ludos eundem facere. Sed isthac sui victor patientiæ tentamenta tolerantissimo silentio lusit, & irrisiones plaudente lætitiâ risit. Alio Bacchanalium die Romæ per scalas, à Christi morituri vestigiis venerabili sanctitatis appellatione impressas divinæ ad abjectionis imitationem, venerationemque ascendere voluit. Quare non solum flexis de more genibus, sed etiam cervicibus fune capistratis contumacem naturam illâ scansili viâ grassari palam ad virtutem coëgit. Sic etiam pietas circundatæ collo restis operâ personata in sacrosanctis iis gradibus sublime, ac plausibile spectaculum dedit. Iam longinquæ viam vitæ fortiter emensus, postremam mirabiliter operam exantlavit, dum felicissimè immortalitatis palmam legit è funeris cupresso : & mali Dæmonis pius auditor, cœlestem virtute sedem, scelere illius vacuam, occupavit. Præceperat paucos antè annos, cum periculosè ægrotaret, famulo sibi unicè caro, ut se vitâ perfunctum sub aditum templi nudâ in humo tumularet, quo pedibus ingredientium omnium procul-

proculcaretur. Hoc ipsum exinde factum. Nam in imo templo sepultus hoc honorifico epitaphio proditur:

Prodiit Vita del Servo di Dio Buonsignore Cacciaguerra — In Roma per Gio: Francesco Buagni 1712. in 4. Authore Joanne Marangoni.

BONSIGNORIO CACCIAGVERRÆ
Senensi
Miræ Sanctitatis Sacerdoti:
Obiit anno D. M. D. LXVI.
Ætatis LXXII.
Humatus hic pridie Kal. Iulii.

Ex vitâ manuscriptâ apud DD. de Cacciaguerris.

SALIMBENIVS DE SALIMBENIIS,

Patriarcha Antiochenus,

Et Sacræ Senensium Expeditiones.

QVantum bello, tantum pietate potentes, à Romanis quippe parentibus minimè degeneres, Senenses esse, tute jam verò, si animum Lector adhibeas, facile judicabis. Exciverat Vrbanus Secundus Pontifex in Claramontano Concilio nobilissimos è Gallia Principes, lectissimasque copias ad Palæstinam è Saracenorum tyrannide vindicandam. Conspiravit illicò in sacram expeditionem Italia, generosis, pro cœlo præsertim, ausibus nulli secunda, & magnam egregiæ juventutis manum submisit: inter quos duo Senensium civium millia, Dominici, ac Bonifacii Syrorum de Griccia nobilium fratrum, secuti signa. Vt autem non modò numero, sed etiam virtute nostræ civitatis copias præstantes fuisse intelligas, Bargæi illustris Poëtæ carmen audire ne pigeat:

. . . . *Iunii.* Propert. lib. 3. eleg. 21. *Senenses felices in bello appellat Paulus Merula.*

 . . . . *gemini*

Angelus Bargæus lib. 7. Syriadis.

.... gemini mox claro à sanguine fratres
Griccia progenies hilari cum corde sequuntur,
Ac bis mille viros, belli insuperabile robur,
Prorsus agunt; quos Sena agri ditissima pascit,
Sena Camœnarum cultrix, & Martis alumna.

Et jam explicatis in dirum hostem vexillis, non auræ modò planè cœlestes aspirabant, sed purissimo quodam rore respersi Christiani bellatores tam vividam simul alacritatem mentibus, atque artubus illabi sensère, ut itinerum, tempestatumque molestias aut nullas experirentur, aut omnes despicerent. Insolitâ sanè ratione roscida mollities in teneras Floræ delicias diffluere solita robustiùs Martem accendit. Prima Vrbium, in cujus expugnatione earum copiarum vis effusa specimen sui præbuit, Antiochia Princeps Syriæ civitas fuit: quæ quantumvis geminatis mœnibus, turribusque sexaginta supra quadringentas præmunita, virtuti oppugnantium cedere tandem coacta est. Vnde captâ longè magis arduum opus supererat arcis expugnatio. Hac enimverò SALIMBENIUS, Numinis cultu, Patriæ gloriâ, strenuo majorum suorum sanguine magnanimum pectus provocantibus, primus omnium, inter hostilium missilium turbinem, præaltum arcis murum non inscendere visus est, sed volatu supergredi, Senensium multis illicò subsequentibus. Devinxerant jamdudum Ducum animos præstantissimæ SALIMBENII virtutes, vitam ad omnes Christianæ Sanctimoniæ leges severè exigentis. Vt omnino dignus judicatus sit qui Episcoporum, qui aderant omnium calculo redditæ tunc Christo illi Ecclesiæ præficeretur: ad profanum interim ejusdem urbis regimen evecto Apuliæ Principe Boëmundo, cui turmæ Italorum obsequebantur. At nostri Præsulis modestia tanto se imparem subinde judicans (cunctas re ipsâ partes vigilantissimi Pastoris explebat) ubi audivit, Christianis armis ipsam quoque jam cessisse Hierosolymam, occultâ se illuc fugâ proripuit. Atque ibi incultis crinibus, barbâque horridâ,

Christoph. Besoldus in narrat. rerum gestarum à Regibus Hierosolym. cap. 2. n. 1. ex Will. Tyrio.

3. *Iunii an.* 1098. *juxta Baronium.*

Hæc de Salimbenio habentur apud Ioan. de Bisdominis in Chronic. ad an. 1097. Thomasium lib. 3. hist. Senens. Vghellium tom. 3. Italiæ sacræ tit. Episcopi Senens. n. 41.

Willelmus Tyrius captam Hierosol. asserit an. 1099. 15 *Iulii feria 6. circa horam diei nonam.*

horridâ, ac facilè inductâ vultui per vitæ asperitatem macie, squalloreque, inter viliores cœmentarios dirutis ab impiorum tyrannide templis instaurandis operam navabat assiduam. Virtus tamen, quæ cum latebras maximè quærit, suâ ipsius maximè luce conspicua est, in causa fuit ne indignam illa suâ magnitudine personam diutiùs ferret, agnitus quippe brevi, & summis honoribus cumulatus, in sedem suam repositus est. Manifestæ itaque Dei voluntati ultra repugnare non ausus, commissam sibi ditionem ad obitum usque integerrimæ pietatis exemplis ditare studuit: nihilominus in sustinendo, quàm in fugiendo tam splendido munere laudis, gloriæque promeritus. Hæc SALIMBENII, commilitonumque civium inclyta exempla incredibile dictu est quantum alacritatis, & fiduciæ ad subeunda pro religione pulcherrima illa in Palæstinâ pericula posterorum suorum animis addiderint. Nam primum omnium expeditionem à Conrado Cæsare, Gallorumque Rege Septimo Ludovico, Eugenii Tertii Romani Pontificis authoritate susceptam, quingenti Senenses acerrimo studio sequuti sunt. Quamvis consilium illud optato successu ob Græcorum fraudes caruerit, Latinæque copiæ aliæ in itinere morbo, & commeatuum penuriâ absumptæ fuerint, aliæ nullo suæ virtutis edito experimento domum redierint. Auspicatiùs res accidit quingentis aliis è Senarum juventute selectis, qui sub Clemente Tertio Pontifice, & Federico Primo Cæsare mare transgressi in Ptolemaidis expugnatione rem strenuè gessere, ductu Ioannis Vgurgerii, & Stephani Arzocchii, ac post plura obita præliorum discrimina, exacto quinquennio reduces in Patriam more triumphantium advecti sunt. Horum exemplum sequuti deinde sunt alii noningenti Honorii Tertii Summi Pontificis hortatu, augentibus maximè juventutis alacritatem disertissimis Bonfilii Episcopi concionibus, & Vgolini Cardinalis Hostiensis auctoritate, qui se cum Apostolicis literis ejus negocii curandi gratia Senas contulerat. Dux hisce copiis præfectus est Guido Bandinellius à Pala-

Anno 1146.

Anno 1187.

Ioannes Vgurgerius, & Stephanus Arzocchius in tertia expeditione ductores.

Quartæ expeditionis Dux Guido Bandinellius à Palatio.

à Palatio, Alexandri Tertii Pontificis Maximi consanguineus; qui in Hierosolymæ, Ptolemaidis, ac Damiatæ expugnatione tanta eximiæ fortitudinis, militarisque prudentiæ edidit exempla, ut Bandinellia nobilitas suo illum aureo in stemmate velut heroicæ virtutis gemmam jure suspiciat. Vno tamen Senensi in pectore omnium quasi Christianorum cordium æquissimas in Mahometanam impietatem iras meritò suspicies, si Pium Secundum Pontificem verè Optimum contemplaberis. Privatus etiamnum erat, cum de reprimendis immanibus ea tempestate Turcarum incrementis pulcherrima consilia dies, noctesque agitabat, omnesque eam unam in rem cogitationes, omnia studia conferebat, idque disertissimis, & cordatissimis illis orationibus egregie declaravit, quas in Ratisponensi, & Francfordiensi conventibus, & mox in Senatu ad Calixtum Tertium Summum Pontificem habuit, cunctis admirantibus, unde illi viro tanta verborum, sententiarumque suppeteret copia, ut, cum hanc unam ad dicendum perpetuam sibi materiam desumsisset, cum novis semper argumentis, recentibusque ad permovendos animos momentis accederet. Summum deinde Pontificatum post Calixti obitum adeptus, cum se tam præclari incœpti caput effectum cerneret, Mantuano Concilio, ac fœdere futuræ expeditioni egregia fundamenta jecit; neque posteà unquam à sollicitandis adversus Turcas publicè, privatimque fidelibus vacavit, aut ullum finem fecit parandi, festinandi, litterisque & legationibus nationes, Regesque appellandi, & quod caput est, suo ipsius exemplo, suoque labore, & periculo ad capessendam Christianæ rei causam, universos, & singulos excitandi, donec senescente sociorum ardore, affectis tamen senio, morboque viribus Anconam advectus est, non solùm ad belli consilia ex proximo administranda, verùm etiam ad nobilitanda suo conspectu ipsa certamina, & militum virtutem, ubi opus esset, monitis coram, & adhortatibus acuendam: quâ de re eleganter gloriatur in literis ad Franciscum Sfortiam Mediolanensium Ducem datis, quarum verba, quia generosi cujus-

Pius Secundus in sacra expeditione procuranda ardentissimus.

Dat. Romæ apud S. Petrum die .. Novemb. 1463. Pontificat. 6.

cujusdam erga Christianam [a] causam spiritus plena sunt, hîc subjicere non alienum à meo proposito futurum putavi. *Erimus* [b], inquit, *& nos, si Deus dederit in hanc expeditionem præsentes, non solum ætate, verum etiam morbis graves. Stat animus canitiem nostram huic militiæ consecrare, & inutile corpus ei restituere, qui dedit. Nihil valemus in bello, quis nescit? Spectare prælium possumus, pugnare non possumus: nec dignitas nostra est, cui competat ferrum stringere, qui ejus locum tenemus, cui dictum est à Domino,* [c] Mitte gladium tuum in vaginam. *Principes sæculi ensem exerere nostro jussu debent; nostrum est pugnantibus pro Religione benedicere, Divinumque implorare favorem. Et hoc quidem sedulo faciemus in monte aliquo; aut ex altâ puppi spectabimus prœliantes: & instar Moysi precibus, & orationibus incumbemus, dum Tu, &* [d] *Philippus acies ordinabitis, & robustissimi milites manum conferent. Ibimus Crucem Domini præferentes: sequemur Sacratissimum Christi corpus: Sanctorum Reliquias adducemus in hostes: Christianæ Religionis caput, & ornamentum, & suprema Majestas ibit in bellum. Quantus sit fidei zelus, quantavè Christianorum cura, nunc palam fiet: si non sequentur Christum Dominum qui Christiani vocantur, apparebit eos falsum induisse nomen. Nos tamen Te comite, ac Philippo iter agemus: ibimus in hanc expeditionem, ne dubita; senes sequemur senes, bellum hoc senum appellabitur. Et hanc notam nostri sæculi Regibus, ac Principibus inuremus, ut exeuntibus ad bellum pro Religione senibus, juvenes domi manserint: memorabile in posteris opus, &c.* Verùm impar ingentibus his animis corpusculum, super mentis ægritudinem, ac assiduas curas, grandis ætas, & ex itineris jactatione collecta valetudo contriverat, sequutâque lentâ febri paucis diebus ingenti bonorum omnium desiderio consumptus est ipso Assumptæ [e] in Cœlum Deiparæ Virginis pervigilio. Interque solemnem tanti festi gratulationem ejus animæ

X spe-

[a] De militari gloria Francisci Sforciæ plura recensentur lib. 3. Commentar. Pii II.

[b] *Pius longa epistola conatus est, Franciscum Mediolanensium Duci suadere, ut secum in expeditione adversum Turcas iret, totius exercitus Apostolici Dux futurus, æternam inde famam, & animæ salutem consecuturus, posteritatique suæ in Principatu Mediolanensi consulturus; sed frustrà conatus est: deliciis jam præsentibus devinctus animus futura contempsit, excusationesque procul quæsitas obtendit, &c.* Commentar. Pii II. l. 12. *At diu deliciis exindè frui Francisco non licuit: nam obiit 8. Martii, an.* 1465. [c] Ioan. 18. [d] Philippus Burgundiæ Dux, de cujus gestis illustribus plura in comment. Pii II. lib. 9. & 12. [e] *Anno* 1464.

ſpecies ad ſuperos evolans viſa dicitur cuidam Camaldulenſi laudatiſſimæ auſteritatis anachoretæ. Hujus exitus felicitatem meruiſſe viſus eſt ſanctiſſimus Pontifex eximio ſuo erga Virginem Deiparam ſtudio, cujus mentio illuſtris eſt apud Cardinalem Papienſem, qui ſupremis ejus adfuit in hæc potiſſimum verba : *Repetere Dominicum Sacramentum manè ſequentis diei optabat in ampliorem ſalutem, & in honorem intemeratæ Virginis, cujus Aſſumptionem ſciebat inſtare : ab adoleſcentia enim ſua in hanc tanquam miſericordiſſimam Matrem ſemper ſperaverat, & hanc vitæ ducem, actionumque ſuarum habuerat. Familiariùs aliquando nobiſcum loquens, recenſenſque anteà actum vitæ curſum, diverſoſque fortunæ eventus, credere dicebat, quia tantum huic glorioſæ Virgini ſe devoviſſet, ab epidemiâ ſemel, à lethalibus languoribus ſæpe, nonnunquam ex manifeſtis vitæ periculis ereptum fuiſſe : omnem denique ſucceſſum dignitatis, & rerum ſuarum huc referebat, &c.* Cæterum ut prius Pii animam corpori, quàm animæ ſacræ expeditionis ardorem ſubductum eſſe intelligas, ad Cardinalem Papienſem converſus in his ſupremis verbis vitam poſuit : *Continuationem ſanctæ expeditionis memora fratribus, & adjuva tu quoad potes. Væ vobis, væ vobis ſi opus Dei deſeritis.* Meritò itaque narrationem ſuam Papienſis claudens, *Hic*, inquit, *Reverendiſſime Pater, Pio noſtro exitus fuit : ſic labores omnes ſuos athleta fortis abſolvit ; incertum, morte nè, an vitâ felicior, qui ad ſummum Pontificatum virtute ſua perveniens, & Religionis atque ingenii æternam gloriam conſecutus, mortem eam ſic nactus, quâ, ſi ſæculum attendas, nulla ſublimior : ſi in Deum reſpicias, præclara, & ampliſſimi meriti plena fuit. Mortuus pro veritate eſt, & pro redemptione plebis captivæ, offerens ſe ipſum hoſtiam Deo, & relinquens exemplum ſacerdotibus, quales eſſe pro ſuis plebibus debeant.* Quod ſupereſt, ipſe de cœlo Pius duræ hujus ætatis Principum mentes emolliat ad privata inter ſe odia, tantum Chriſtiano ſanguini ſtantia, in publicum hoſtem vertenda ; & ad favorem illum æquiſſimis Venetorum armis præſtandum, quem

In epiſtola ad Franciſcum Picolomineum Card. Senenſem de morte Pii II.

Ibid.

quem summa Senensis gloriæ Corona ALEXANDER VII, & paratissimæ liberalitatis exemplo, votisque & curis omnibus impetrare contendit.

Ex Autoribus, quos unicuique expeditioni subjunximus.

FRANCISCVS A MONTECHIELLO,

Ordinis Iesuatorum.

NOn est quod nostra Civitas præclara illa austeritatis antiquæ exempla Ægypto invideat. En unum multorum instar nobilis Iesuatorum disciplina spectandum exhibet FRANCISCVM eo genere laudis in paucis insignem. In more habuit, semel duntaxat in die pane jamdudum durato vesci, atque etiam herbis, sed, nullo indito condimento, palato lenocinantibus: nec rarò duos integros dies omni prorsus abstinuit cibo. Vino interdixit. Nam aquam ipsam, si quando ardentior urgeret sitis, amarore inficiebat absynthii, ut per supplicia voluptatem potus expleret. Præterea fatigatos laboribus diurnis artus quieti minimè permittebat, nisi à media jam nocte. Nec impunè somno ferre sinebat, quod animum à divinarum rerum cogitationibus avocaret, nam corpus illi nonnisi nudam in humum projectum permittebat, non rarò olidâ stabulorum fœditate ad captandam necessariam quietem quæsitâ. Neque id satis animæ piam in corpus tyrannidem affectanti; proinde flagellis sese frequentiùs quàm acerrimè cædens, sauciam cutem asperæ vesti (quam unicam, nullo tectus indusio gessit assiduè) adhærescentem atroci doloris sensu torquebat. Sed hæc tanta remediorum asperitas nequaquam satis est visa, ut sensus in rationis obsequio usquequaque perseverantes esse vellent, quæ vera humani animi sanitas est. Contumaces igitur ad-

.... Iunii.

versus spiritum suæ carnis impetus præsenti quoque animadversione coërcuit, semel quidem cum ne illicito igne per noctem diutius calesceret, surrexit à lectulo, seque nudum nivibus affatim è cœlo decidentibus verberandum abjecit, nec nisi ab accurrentibus manè ad facti atrocitatem sociis in cubiculum propè exanimis revectus est; iterum cum medicinam ejusdem generis languoris à stagnantium aquarum rigore petivit, sese in eas gelu etiam durescentes collo tenus immergens; egregio contra veterum fabularum mendacia documento, extingui aquis Venerem veriùs, quàm nasci. Familiare porrò habuit, immodicæ Aquilonum asperitati sese objectare; adeo ut rigefacto per hyemem capitéque ac mento cruentas passim, alteque ductas rimas præferret. Ne verò benigniùs æstivo cœlo utentem FRANCISCVM putes, medio diei ardescentibus cum maximè solis caloribus, adjecta insuper è valetudinario villosâ, & crassâ humeris tegete, versatus diu, & non semel esse dicitur, accommodatâ ad anni tempus exercitatione, qua corpus, ut perfectæ erga animum servituti assuesceret, acuebat. Tam eximia supra ipsas naturæ vires tolerantia vel expertes rationis animantes in admirabundam sui venerationem adeo corripuit, ut volucres sese FRANCISCO sisterent ultro capiendas. Sed ille cœlestium Alitum gratiam avidiùs captans, tandem pretiosis illorum pennis evehi meruit ad sydera: ut post diuturnas æstatis, hyemisque molestias, admirabili patientia toleratas, Vere tandem inter Cœlites æterno, ac beatissimo frueretur.

obiit an. circiter 1400.

Ex Feo Belcaro in selectis vitis Iesuatorum sub initium, & ex Paulo Morigia in Histor. Iesuatorum Sanctimonia illustrium. lib. 2. cap. 3.

IVLIVS.

I V L I V S.

MARGARITA BICHIA,

Vidua, Tertii Ordinis S. Francisci.

XXV. *Iulii.*

TRiumpha Virginum Maxima, & patriâ sine labe concepta labem à Patriæ perduellibus jamjam Senæ tuæ infligendam, victricibus armis averte. Tu verò vetus Virginis Civitas quid trepidas? pro centum turribus, quibus verissima Divorum Mater coronaris, unam objice Turrim Davidicam cum hac epigraphe, IMMACVLATE CONCEPTA, & conceptam à sævientibus filiis perniciem in exitialem iisdem ipsis abortum erupturam esse ne dubita. Hæc olim MARGARITA mente, ut creditum est, cœlitus illustrata se ipsa major, & augustior obsessis, & sollicitis in re trepida civibus tuis edixit. Certè vana non cecinisse Matronam sanctimoniâ percelebrem eventus felicissimus affirmavit. Turbarum, armorumque causam, ac simul Conceptæ Virginis gloriam Bichiâ pietate amplificatam retexere, non accidet, opinor, ingratum. Vita functo Pandulpho Petrucio, qui avorum nostrorum memoriâ nullo insigni potestatis vocabulo speciosum, sed solidum, verisque opibus fundatum in patriam, & cives suos dominatum tenuerat, Reipublicæ summa penes Novemviros tredecim annos hæsit, (quem ordinem leniendam ad invidiam Pandulphus in gravioribus quibusque civitatis negociis adhibere consueverat,) donec factâ per nobiles aliquot adolescentes conspiratione, qui sibi libertinorum ductum à Libertatis reducendæ consilio nomen indiderant, paucorum dominatu, quo graviter premi videbatur, liberata civitas est; Ideoque Novemviri non sine periculoso pugnæ intra urbis mœnia commissæ, certamine pulsi, patriâ, & bonis exuti sunt, à quorum potentiâ, insidiisque reditum sibi in patriam

omni conatu molientium, trepida, diffidensque rebus suis civitas, quò tueri se posset, ad opes ea tempestate in Italia florentes Caroli V. Imperatoris respexit. Quam autem improvidè, & nulla cum ratione pro tuenda libertate tanti Principis implorata arma fuerint, sequutæ mox populi ab Hispanico præsidio, & arce à Cæsare imposita calamitates documento sunt. Cæterum exulibus ea res commendationi ad Clementem VII. Romanum Pontificem magnoperè fuit, qui contra Carolum cum Gallis, Anglisque, & Venetis, atque Helvetiis socia pro libertate Italiæ arma junxerat, à quo propterea suscepti benignè, adjutique copias ad decem millia hominum ad portam, cui nomen Camoliæ, admovere, tormentorum vi, quam plurimum secum adduxerant, aditum sibi intra mœnia properantes. Longè illi quidem à laudata multorum ex vetere memoria animi moderatione, quibus utcumque de se meritæ patriæ vim inferre nefarium, & importunum visum est, cum tamen ejus virtutis pulcherrimum, & recens domi exemplum haberent in Secundo Pio Romano Pontifice, qui atrocia erga se, domumque suam Senensis Civitatis facta ingentium omnis generis beneficiorum vice pensavit, cum tamen in summa injuriæ referendæ facultate versaretur. Quin auditus est sæpè cum diceret: *Vrbi quæ nos genuit, & Senensi populo vel invito benefaciamus.* Cæterum civitatis animos quanquam ad omnem fortunæ sævitiem tolerandam paratissimos, ingens cura sollicitos habere cœpit, de multorum fide, quibus arcta sanguinis necessitudo cum exulibus intercedebat. Nec leviter eam suspicionem auxit, improvisus nuncius amissi Telamonis Oppidi, cui propter opportunitatem portus summum ad bellum in agro Senensi gerendum momentum inerat. Et quia periculosius omni calamitate ipsum tam ancipitis periculi remedium videbatur, divinam opem implorare primum omnium consilium fuit, implorandique rationem à MARGARITA BICHIA petendum esse sapientissimi eo tempore civis, & summum in civitate magistratum gerentis Alberti Bulgarini auctoritas evicit, propter eximiam

Pius II. lib. 8. Commentar.

eximiam mulieris sanctimoniam, & cum aliis cœli favoribus, tum præcipuè vaticinandi miraculo in civitate pernobilem; quanquam genitam eam Alexandro Bichio factionis Novemvirûm olim acerrimo, eaque de causa à Libertinis interfecto, meminerant; tanta in moribus ejus fiducia, constantisque, & solidæ virtutis opinio erat. Quamobrem Senatus nomine primò quidem Ioannes Tegliaccius & Alexander Politus, alii postmodum, aliique viri nobiles illam adeuntes, ut Deum suis Civibus propitiaret, enixè flagitarunt. Annuit modestissimè MARGARITA, & post exploratam Numinis voluntatem, per suæ conscientiæ arbitrum Ioannem Peccium Canonicum Senatui renunciari jussit, provocatum licet Senensis populi criminibus Deum, Matre tamen Virgine deprecatrice, atque interprete placandum, victoriam procul dubio de perduellibus largiturum esse, dum in has leges lubens, volensque Senatus conveniret. Vrbem, ac ditionem, Reginæ Superûm antè annos sex ac sexaginta supra ducentos potestati submissam, sed per nimiam vitæ licentiam suavissimo eo jugo jam propè subductam, novâ sanctioris donationis formulâ suæ Dominæ restituerent. Gravium comminatione pœnarum scelera, ac præ cæteris contumeliosa in Deum, Deiparamque dicta coërcenda sancirent. Corpora triduano jejunio plecterent: animos sacra confessione purgarent, Divinique corporis participatione reficerent. Denique purissimam Patronam suam sine primæva labe conceptam cives universi non crederent modò, sed anniversariâ plurium dierum celebritate recolerent; & in Reginam semper pulcherrimam ac ullâ penitus sine maculâ speculum, intimæ mentis obsequia, publica contestatione firmarent. Atque adeò in tesseram quotquot in aciem prodituri mox essent, hæc thoraci verba inscriberent: *Per Immaculatam Virginis Conceptionem de inimicis nostris libera nos Deus noster.* Sed & Conceptæ Genitricis, Divinique Filii Cruci defixi icones præ signis eveherent: pro classico salutarium IESVS, & MARIÆ nominum frequens, & alacris usurpatio esset. Hæc si facerent,

Alex. Bichius proavus Card. Metelli.

Anno 1260.

A Margarita ut maximè committitur Reip. Senensi colenda Immaculata Virginis Conceptio.

rent, laureas jam crinibus, palmasque manibus præciperent licet; nec enim ullam futuram victoriæ moram, quamvis singulis Senensibus cum decem adversariis futura res esset. Diu laborandum non fuit, ut Vrbs in Virginis obsequium suopte ingenio propensa, & se arctius illi obstringeret emendatioris vitæ proposito, & Conceptionem Virginis novis plausibus cohonestaret: cui videlicet primam Italiæ Civitatum publicos cultus exhibuisse jamdudum gloriabatur. Adeo ut vel ab anno MCCCLXIII. Conceptæ Virgini solennia statuendo miserrima lue se tandem expediverit: soteria in annos solventibus magistratibus accessu ad iconem Virginis *de Belverde* dictam, quam in templo religiosissimorum MARIÆ servorum etiamnum Civitas eximiâ veneratione prosequitur. Ergo candidum ingens vexillum (*Confalonem* appellant) cujus dedicatio Assumptæ in cœlum Virgini jamdudum decreta, dilata eatenus fuerat, unanimi omnium Ordinum sensu Conceptæ Virginis imagine statim decoratum enituit, his ex uno latere verbis inscriptis: *Immaculatæ Conceptioni Virginis* MARIÆ *dicatum*. Ex qua verò parte Deipara, Angelis coronata vel adorantibus, vel triumphales palmas ostentantibus, subjectas sibi Senas dulcibus oculis respiciens est expressa, hoc distichum subscriptum legebatur:

Senarum vetus erga conceptam Virginem observantia.

Donasti claves, claves & mœnia servo.
Funde preces Nato libera facta meo.

Vexillum hoc indictâ publicâ supplicatione, instructoque religioso agmine ad principis Templi aram Virgini sacram delatum Hieronymus Picolomineus Episcopus Pientinus solemni ritu, atque idoneo ex sacro codice adhibito carmine consecravit: secundum hæc portarum claves, quibus summa in civitatem, inque cives potestas designabatur, inter precationes, & lachrymas ad Virginis Deiparæ imaginem medio in altari conspicuam delatæ sunt, & in verba à præeunte summo Magistratu concepta sacramentum (quod fidelitatis appellamus) ab universo populo dictum est. His aliisque à MARGARITA præscriptis, pietatis muneribus ritè expletis, in-

22. Iulii.

incredibile dictu est, quanta animorum alacritas consequuta sit; aut vincere, aut mori votum unicum, una vox omnium erat; eo ferociæ impetu, ut ad eos intra mœnia continendos Ducis imperio opus fuerit. Sex omnino delectæ juventutis millia armaverant, ex quibus ad mille Alexander Politus per portam, cui Fontis Blandi nomen est, eduxit; reliqui Bartholomæum Tantuccium non minus acutum Philosophum, quàm strenuum bellatorem, sequuti per alteram, cui nomen Camolliæ egressi sunt; Ioanne Maria Pino, quem penès summum totius belli imperium erat, cum expedita manu, quò se progressuri certaminis usus vocaret adfuturo. Inter cæteras Tantuccii turmas una erat, quæ sese auspiciis MARGARITÆ conscriptam gloriabatur, albo in vexillo effigiem Deiparæ Virginis, peculiare & maximè propitium magistræ suæ numen proferens. Hinc initium victoriæ; tormentis siquidem hostium, horum præcipuè virtute occupatis, præfixum eo in loco, quod diximus vexillum, latèque per omnem aciem cum gratulatione conspectum omen ad cætera quoque prosperi eventus certissimum fuit, ingenti adjectâ ad capessendum prælium militum animis alacritate. Consilium fuerat, duplici ex parte hostem per ejusmodi copias repente adoriri, & utrinque divisim distinere, dum signo dato tota armatorum civium vis ex Vrbe in adversas acies jam fatigari cœptas irrueret. Verum per imprudentiam speculatorum, erumpendi signum composito multo seriùs est campano ære datum. Imò ex primis mille in aciem eductis, dum quadringenti per viarum diverticula clandestinas meditantur insidias, sexcenti dumtaxat cum decem amplius hostium millibus congrediuntur. Impressione enim à Senensibus factâ, ancipiti diu Marte pugnatum; cum tandem è celsissimâ Curiæ turri edito quod diximus signo, ac reliquo templorum ære campano respons ante, adversariorum copiæ incredibili quodam terrore perculsæ, cadere animis, gradu cedere, mox terga vertere tam fœda fugæ celeritate, ut se multi invicem vulnerarent, atterentesque præfocarent: frem ente interim ad inopi-

natum fugæ ſpectaculum copiarum ex Vrbe accurrentium virtute, ac penè dedignante, palmas colligere ſuis quoque ſudoribus non irrigatas. Tanta victoria ſolo decem ſupra centum ſanguine Senæ ſtetit. Deſiderati duodecim ex oppido Lucignano, cujus gentis quadringenti pedites ductu Nardi Ciognii ſtrenuè dimicantes, fidem in Rempublicam egregiâ cum laude probarunt. Septem vero de nobilitate Senenſi interiere, Mercurius Aringherius, (nulla enim nomina æquius donanda ſunt immortalitate, quàm pro publicâ ſalute morientium) Philippus Boninſignius, Hieronymus, & Iulius Lutii, Hieronymus Saracenus, Nicodemus Piazzeſius, & Fabius Allegrettus, quorum deinde funera publicè magnificentiſſimè celebrata ſunt. At ne horum quidem omnium jacturam in excutiendis ab obſidione hoſtibus Respublica indoluiſſet, niſi anteà aliquorum diſſenſio interceſſiſſet maturanti expeditionem MARGARITÆ, ſimulque denuncianti, quò tardius erumperent, eo profuſiori ſanguinis impendio comparandam ipſis eſſe victoriam. Effuſa obviam civitas univerſa per ſumma quæque lætitiæ argumenta gratulabatur victoribus, præmittentibus duodecim vexilla, & quatuor ſupra decem obſidionalia tormenta hoſtibus erepta, una cum divite ex deſertis impedimentis præda, & ingenti captivorum benè valentium manu: ſaucios enim hoſtes non minori charitate, quam ſuos ipſos in urbem curandos aſportari juſſerant, memores Matrem eſſe Miſericordiæ, quæ vicerat. Publicam tamen hilaritatem ex parte repreſſit infortunium Camilli Columnæ principis inter honorarios è Romanâ Nobilitate bellatores. Hic enim poſt gentilitiæ virtutis inſignem ſpeciem exhibitam in hoſtibus cædendis, fugandiſque, dum diſſipatos procul à ſuis ardentiùs inſequitur, bucculâ fortè, everſis nexibus, oculorum aciem præpediente, ab hoſtibus captus eſt. Cæterum debi-

Relata eſt victoria 25. Iulii, 1526.

In S. Franciſci templo hoc Saraceni ſepulchrale elogium legere eſt: *Quisquis es, ſi pius es, piis ne parcito lachrymis. Hieronymus Saracenus hoc parvo contegor tumulo, qui dum ab hoſtibus obſeſſam Patriam liberarem, pectus clypeum pro civibus offerens, victoriam, & immortalem mortem reportavi. Quæ Superis, Naturæ, Patriæ, Amicis, Parentibus debui, perſolvi. Si piè patriam amas quæſo ne invideas. In ..... pietatem mæſtiſſimi Parentes poſuere. Quarta Olympiade nondum peracta, Anno Domini* MDXXVI *Menſ. Iulii die* XXVII.

debitas in ſpeciem trophæi grates cœleſti Patronæ decernere, primum omnium ſtudium fuit. Atque adeò ut integerrimæ illius conceptioni acceptam victoriam referri liqueret, laureatæ illius iconi hæc Italico rythmo inſcripta ſunt carmina:

Veterem cultum erga Virginem ſine labe Conceptam novis argumentis. Sena confirmat.

Voi voi Donna del Ciel, voi fuſte quella,
Che liberaſte noi con poche ſquadre,
Per far fede quà giù, che 'l primo Padre
Non peccò in voi ſempre gradita e bella.

Præterea votivum Conceptioni ſacrum quâ maximè potuit munificentiâ celebratum, & feſtivi plures eidem dies indicti in ſingulos annos recolendi: per omnes interim vias Virginem Immaculatè Conceptam collaudantis populi plauſibus jucundiſſime reſonantibus. Atque ut temporis decurſu tam gratæ pietatis ardorem minimè deferbuiſſe intelligas, viginti poſt annos Senatus Senenſis peculiari patrocinio templum, ac nobilem Parthenonem ab antiquis usque temporibus Virgini Conceptæ dicatum, publici obligatione Chirographi procurandum ſuſcepit. Et par quidem erat, ut per Conceptæ Virginis tutelam incolumis civitas, Religioſiſſimas Virgines eidem Conceptæ militantes pro viribus tutaretur. Et quidem illarum Templo octava Decembris cereæ faces ad quadraginta libras publici nomine muneris exhibentur: cum ea ipſa die centum aliæ principi Templo, atque aliæ itidem centum Sacræ Servorum Virginis Ædi civitas offerat. Porrò obſervatu dignum, nullâ aliâ per annum recurrente feſtâ die tam magnam ceræ vim publico nomine ſacrificiis, atque oblationibus abſumi ſolere. Grates deinde multo cum honore verborum MARGARITÆ, quaſi potiſſimæ tanti muneris à Cœlitibus obtinendi interpreti, ac deprecatrici publicè actæ ſunt. At illa præ cunctis honoribus, cunctiſque gratulantium obſequiis, multo delectabatur impenſiùs admirabili quadam animi ſuavitate, quæ ſibi à conſtanter, intrepideque tolerandis morborum ſuorum, ulcerumque doloribus accidebat; pridem enim infirmum corpuſculum miſerandum in modum affectum erat. Et quidem pro lamenta-

Anno 1546. *ut conſtat* ex lib. 34. Conſiſtorii Senenſis.

tabilibus vocibus in Divina præconia benignitatis animum, ac linguam effundere consueverat: ut jam vel in fœmina Senæ ostentare possent inclytam illam Iobi constantiam, qui totum corpus diris perfusus ulceribus mysteria loquebatur, nec acquirendis propriæ remediis ægritudinis, sed sacris vacabat sermonibus. Divinius tamen in lenimen adhibebat quotidie MARGARITA cœlestem panem, panacea enimvero qualibet efficaciorem. Contraxerat eas corporis labes in ipso ætatis flore, cum per virulentam perfidiam, violatæ pudicitiæ falso crimine circumventa, non vapulavit modò publico convicio, sed dum maritus inanem conjecturam pro certo crimine accipit, squalore diuturni carceris, catenis delicatos artus prementibus, aliisque cruciatuum generibus usque adeò confecta est, ut solo animantis patientiæ miraculo superstes videri posset. Sanè dum pro pudicitia crudeliter exagitatâ vitam morte acerbiorem tam diuturnâ constantiâ sustinuit, virilem animum muliebre corpus fortitum esse ostendit errore fortunæ, non maligno, ut ille Lucretiam suam celebrans voluit, sed speciosissimo: quippe infirmiori adminiculo validiora præstans multò gratiùs oculos rapit. Denique post abundè exploratam heroici pectoris tolerantiam, Divini Numinis jussu detracta est honestissimæ Matronæ turpissima persona; admirabiliter probatam injuriæ beneficio innocentiam nemine in posterum non venerante. Ita MARGARITA eos ipsos inter scopulos, quibus damnatæ videntur, ac fluctibus rabido fremitu sese invehentibus expositæ, id sibi comparant decus, ut principium, culmenque omnium rerum pretii teneant. Publicam æstimationem augebant raræ charitatis exempla, & Divina commentandi perpetuum studium, quo per liquidas animi voluptates superis jungebatur: adeo ut aut ista, aut nulla planè alia margarita ipso tantum cœlo gauderet. Accedebat impetrandorum cœlitus munerum facultas, per quam commune perfugium evasisse videbatur: ipsi verè congruente illo Maximi effato: *Quò fuerit patientior ad injuriam, potentior constituetur in regno.* Et verò sum-

S. Ambr. lib. 2. de interpellat. cap. 2.

Val. Max. lib. 6. cap. 1.

S. Maximus sermon. de S. Michaële Archan.

summam illius apud Reginam Virginem potentiam coronavit, quam enarravimus Senensium victoria: post illam namque MARGARITA brevi ad MARIAM suam exoptatâ morte decessit: insolita margaritarum felicitate, Reginæ Maximæ inserenda, non collo, sed cordi. Quasi post patriam Conceptæ Virginis ope servatam, Conceptionemque Virgineam tantæ Vrbis incolumitate clariorem redditam, nihil dignius, quod in hac mortalitate gereret, superesset.

Obiit eodem anno.

Ex libris Consistorii, ac Baliæ Senen. an. 1526, & ex tribus libr. ab Achille Maria Orlandino de hac victoriâ edit. an. 1527. mense Febr. & ex Angelo Bardio in hist. manuscript.

C A T H A R I N A
D E V A N N I N I S,

Sanctimonialis Pœnitens.

XXX. Iulii.

MAgnum pauperies opprobrium jubet, quidquid & facere & pati; nec potuit durissimo ejus imperio non parere inermis CATHARINÆ animus, à parente importunè defuncto juventæ, & solitudini suæ, & excellenti formæ, pessimis pudicitiæ custodibus relictæ; adhæc inter angustias rei familiaris, à sævientibus per ea tempora belli cladibus attritæ. Itaque facile fuit ingeniosæ ad ejusmodi opportunitates libidini, miserandis puellæ castitatem cladibus afficere. Dum choreæ nescio cujus illecebris capta nequissimæ saltationi dat operam, primò ad labendum inducitur, mox domo per honestatis jacturam infeliciter locupletatâ, luxu deliciisque cœpit diffluere, & fieri manibus suis hydra formarum, per plura blande nocendi capita alienos oculos vehementer inficiens. Et jam Senarum, mox etiam Romæ, (quò promissis ingentibus illecta se contulit) pudor evaserat, alienique pudoris ipsa pernicies: adeo ut sanctissimi nominis Tertius Decimus Gregorius, ne

S. Zeno Serm. de pudicit.

 flam-

flamma latiùs vel in potentiorum ædes excurreret, jusserit primò quidem in custodiam tradi CATHARINAM, urbe postmodum, ac ditione proscribi. Hæc publici dedecoris nota, & valetudinis, è carceris intemperie contractæ stimulis facilè excita, generosa alioqui puellæ indoles fidem denique habuit veteri dicto, nimiam pulchritudinem nimiam esse miseriam; & nobilem illico pœnitentiam ardens clariùs quàm ille olim ostendit animum suum in nequitiâ peregrinatum esse, non habitasse. Et verò intermortuo quanquam fomite, servaverat tamen pectore assiduè quosdam veteris pietatis igniculos; quos subitas excitarunt in flammas radii è Divæ Mariæ Magdalenæ icone prodire visi, in quam aliquando non sine teneriori quodam sensu oculos CATHARINA defixerat. Sed benignissimâ tunc verè luce intimam CATHARINÆ mentem Magdalena pervasit, cum illa Senas reversa in S. Augustini audiens Religiosum Oratorem de ejusdem Divæ ad saniorem mentem reductione verba facientem, oborto repente lachrymarum imbre, crebris, altisque suspiriis, interruptisque singultibus altera plane Magdalena amarum cordis dolorem demiranti populo prodidit. Nec mora: vestigia fletibus signans, & vias, quas oculorum flammis incenderat, undis purioribus eluens, vix domum regressa est, cum, furiis, sed cœlestibus, acta, pretiosas discerptas vestes, attrita cum gemmatis monilibus lenocinia capitis omnia, ipsosque laceros crines, amores illos suos, & amantium laqueos, ad Christi è Cruce pendentis pedes abjecit, debellati cupidinis cœlo gratissimas exuvias. Parum tamen rata, mari doloris duo tantùm ex oculis flumina tributaria excurrere, aureis torquibus delicatos artus torquere aggrediens, auroque triumphantem superbiam auro premente triumphans, sanguine è venis omnibus defluo errores suos deflevit acerbiùs. Et ne suspiceris fuisse istum (ut non raro accidit) summum quemdam subito æstu commoti animi facilè defervescentem impetum, asperioris vitæ rationem hanc exinde suscepit, atque inviolabilem servavit, quoad intra clau-

Plaut. in Milite Glorioso.

Val.Max. lib. 6. cap. 11.

ſtra Pœnitentium ſanctimonialium ſeſe recepit per integrum nempe decennium. Quibus omnibus malè partis in pauperes optimè collocatis, talarem induit è ſacco tunicam, quam ad latera fune conſtrinxit, ter in hebdomadâ cibario tantùm, eoque modico pane, ac frigidâ famem ſollicitans verius, quàm ſedans, flagris per horam cruentabatur, & ſeſe non jam molliter infringebat, pedibus incedebat aſſiduè nudis; dum lectulo incubavit, interpoſitis ſarmentis, vel rudibus lignorum ſegminibus ſomnum excruciare in more habuit; mox autem ipſam ſtrati ſpeciem refugiens, nonniſi ſellulæ innixa indulgebat, utcunque ſoporifeſſis artubus illabenti. Imò quaſi leviora hæc eſſent experimenta pœnarum, adeò validos præſertim laterum dolores cœlitus exoravit, ut ex eo tempore pedibus conſiſtere nequiverit. His afflictationibus voluptates, quibus interdum indulſerat, toto corpore perenniter vindicans, & hinc maximè dolens, quod maxime non doleret, tam benè ſe probavit pœnitentium Duci Magdalenæ, ut non ſemel aſpectare ſibi ſit viſa manifeſtam ejus imaginem, ſeſe ad conſtantiam ſanctiſſimi ſui propoſiti verbis graviſſimis adhortantem. Nec aliis id genus cœleſtis erga ſe indulgentiæ rariſſimis muneribus perfrui per omne vitæ ſuæ ſpatium intermiſit, cum familiarem ſibi beatarum mentium conſuetudinem, aſſiduâ ſpiritualium rerum meditatione, conſtantiſſimo omnis terreni gaudii deſpectu, & flagrantiſſimo erga Deum amore effeciſſet. Ita verò cœleſtibus indulgebat, ut interim in alienam ſalutem quoad liceret incumberet, mulierculas quàm plures à turpi quæſtu ad frugem, & continentiam traducendo: Ipſum fratrem ſuum in ſcelera præcipitem ab exitio revocavit, atque ut corruptam vitam felici cataſtrophe per mortem ſanctè obitam clauderet, tandem obtinuit. Ferunt, illum ad ſupremas vitæ anguſtias redactum enixis à CATHARINA precibus popoſciſſe, ut recitato S. Ioannis Euangelio vires adderet cum morte luctanti. Ad hæc ſoror hærere, & vehementer angi, quòd imploratam opem ferre non poſſet, quippe legendi prorſus ignara. Arcanis nihilominus animi

animi ſtimulis provocata, ſacro codice accepto, extemplo quæ in eo continebantur expeditè perlegiſſe, ac pronunciaſſe dicitur tunc. Et jam tam miræ pietatis odor Senenſem urbem univerſam gratiſſimè afflabat: unde ad CATHARINÆ viſendam domum, quæ è ſcelerum officina tranſierat in Pœnitentiæ theatrum, cœliqûe delicium, concurſus fieri cœperunt ingentes; ubi præcipuè eſt evulgatum Dignamitam Virginem in Parthenone, cui à Caſtro-veteri nomen eſt, S. Claræ ordini adſcriptam, CATHARINÆ precibus ſtatim convaluiſſe è cardiaco morbo, qui vires medicæ artis omnes eluſerat. Quid ageret tot inter plauſus modeſtiſſima CATHARINÆ demiſſio? nempe ſequentem gloriam fugeret, idcirco ſacrorum murorum objectu illam à ſe arcere decernens. Tunc enimvero diverſi Religioſarum Virginum cœtus certatim ſibi CATHARINAM expetere, nihil perhorreſcentes veterem illius infamiam, nec aliam quàm tantarum virtutum dotem exigentes; ſed illa ne in honorem, quem fugiebat, incideret, ſolam ſibi deberi dixit earum ſanctimonialium domum, à quibus diſceret, præteritas impurioris vitæ ſordes pœnitentiæ undis diluere. Voti compos, & ad optata clauſtra devecta, comitante ejus conſcientiæ diu arbitro Sigiſmundo è Chiſiorum familiâ (pietatis nimirum nobiles flores vel edere ſolitâ, vel colere) ſtatim oſtendit, quàm auſpicatus ſacro illi cœtui ſuus eſſet adventus. Altero enim ab ingreſſu in Monaſterium die inſpecto divinitus veſano conſilio, ſex ejus loci ſororum, pernicioſis rerum fluxarum blandimentis earum ad ſe animos retrahentibus, fugam è cœnobio jamjam meditantium, iiſdem ad ſe accitis meliorem mentem induxit. Aliàs quoque occultiora rebellium Deo cordium arcana perſpexit, & peccantibus ipſis aperuit: tunc incredibili cruciatu ſe confici aſſerens, cum ab ipſa monitos, pœnitentiam oretenus profiteri cognoſceret. Cæterum quaſi tunc primùm inceptura ſuas anteactæ vitæ noxas plectere, claudi obtinuit perangusto conclavi decem circiter in longitudinem, latitudinemque palmorum: ex quo tamen per fe-

Sigiſmundus Chiſius Patruus Sanct. D. N. ALEXANDRI VII. Conſeſſarius Catharinæ.

fenestellam prospectus illi pateret ad Amorem suum in templi adjuncti arâ sub Eucharisticâ cortinâ latentem. Atque in eo felici carcere, Divino animata conspectu assiduis jejuniis, cilicino thorace ad genua usque producto, & quotidianis plurium horarum flagris in ægrum corpusculum multos annos desæviit. Per tempus, quod pœnis non impenderet, altissimis Divinorum commentationibus intenta, animo longè à sensibus abripiebatur ad eam usque, quam appellabat enervationem, eo quòd ipso abalienationis decursu distractis quasi nervis ingemiscere cogeretur, sed ita ut dolor dum displiceret, alliceret, & ipsa esset pro voluptate tristitia. Adeo ipse quoque Divinus Amor & felle, & melle est fœcundissimus: qui tamen amarum ad satietatem usque non aggerit, imò gratius semper reddit, atque optabilius. Dum verò per ejusmodi studia sibi uni vacare videbatur, alienis re ipsa corporis, animique commodis intentissimè invigilabat. Sensit vigilantis præsidium Archangelus è Dominicana familia, qui in audiendis CATHARINÆ confessionibus fuerat Sigismundo suffectus, dum morti proximus à communi hoste acerrimè impetebatur, ut de veritate Christianæ fidei mysteriorum ambigeret. Per miram namque sui speciem adfuit exemplo decumbentis lecto CATHARINA flammanti ense stygias larvas præpotenter avertens: celebri sacris in literis Cherubim eo felicior, quod flammeo gladio, atque versatili viam in Paradisum sternere contendit, non occludere, & stravit quidem tutissimam; nam ab illius obitu certior cœlitus reddita est, vi suarum precum è purgantibus ignibus ad superos evolasse fortunatam animam multo citiùs, quàm pro noxarum, quæ erant expiandæ magnitudine. Iam verò inter plura, quæ ad temporariam aliorum salutem ex operosâ solitudine suâ potuit CATHARINA, illud eximium. Equitabat non longè à Patriâ Federicus Borromæus, Purpuratus deinde Ecclesiæ Mediolanensis Antistes (è cujus de CATHARINÆ vitâ præclaris commentariis nos ista libavimus) cum fortè in foveam stagnantibus aquis cœnosam unà cum equo

Genes. 3.

præcipitans ad ſuprema vitæ diſcrimina ſe redactum advertit. Tunc verò CATHARINÆ memor, cujus conſcientiæ moderator aliquandiu fuerat, vix ejus ſubſidium imploravit, cum ab eadem ſibi conſpicua morti ſubductus eſt, ac in tuto locatus. Et huic ſubito verè caſui ingenium fuit, tam miro beneficio ad conſcribenda auxiliaris ſibi dexteræ geſta gratum viri animum excitante. Neque verò ſibi ipſi minus præſenti auxilio excellens præſtantiſſimæ fœminæ ſanctitudo fuit,cum ex diuturna gravedine repens quadam nocte diſtillatio in fauces delapſa intercluſo propè ſpiritu præfocare videretur, namque vitæ delinimenta oblitam, ſeque ad noviſſima magno animo jam accingentem unà cum expedito ſanitatis beneficio, ipſa infirmorum ſalus virgo Deipara (quaſque ſibi ad exemplum, & patrocinium ex omni cœlitum cœtu delegerat) Magdalena, & Benincaſia Catharina præſentes adire viſæ ſunt, ſeque ſuper impertitam integram valetudinem ſolatiis, & oblectationibus, quanta mortale pectus capere poteſt afficientes: ſed nimis avidè ſibi ſiſtere fugientem mortem votis, ac ſuſpiriis CATHARINA nitebatur, ex quo præſertim ejuſdem mortis objecta ſpecies, radios, quos à Divino ſole haurire videbatur, mirum in modum reverberans, contemplantis oculos rapuit. Nimirum hoc quoque deerat tantæ Pœnitentis felicitati, ut forte planè inſolitâ mortem ſuam vivens videret: oſtendit enim mox eventus CATHARINÆ mortem eſſe, quæ formoſior, & in conſpectu Domini planè pretioſa radiaret. *Pſal.* 115. Sacris quippe ſolennis quotannis Iejunii quadraginta diebus ſine ullo cibo tranſmiſſis, deductis in Crucis formam brachiis, hoc eſt ſponſo ſuo moriendo quoque ſimillima CATHARINA puriſſimum Cœlo Spiritum reddidit, annum agens mortalitatis ſuæ ſextum & quadrageſimum. *Anno* 1606. 30. *Iulii.* Et ecce vultus eo uſque temporis pœnitentiæ, ac ægritudinis atrâ macie, & lucido ſquallore confectus, repente ſub eorum oculis, qui ex univerſâ urbe accurrerant, in candidam, ac rubicundam charitum ſedem converſus, cœpit formoſiſſimos radios ejaculari.

Quin

Quin & innocentes quædam favillæ aurearum lunularum ſpeciem referentes toto è cadavere, ſed præcipuè de cordis latere exilientes funebrem lectum, & pavimentum ipſum divite nimbo texerunt. Tunc primùm ſuſpicere licuit non aſtra ſolùm labentia, ſed cadentes etiam lunas. Et benè lunâ, hoc eſt ſydere maculoſo innotuit, CATHARINÆ maculas vi arcanâ pœnitentis cordis pretioſè nitidas evaſiſſe. Sed ad informem ſpeciem tam ſplendida facies paulò poſt redit. Diceres pernicioſæ quondam pulchritudinis memorem, alienos oculos rapere vel mortuam timuiſſe. Quæ tam gratioſa dum viveret Virgini fuit, tot tantiſque illam muneribus cumulanti, meritò nunc quieſcit pro arâ ipſius Virginis, cujus Icon à Gratiis dicitur. Atque hæc percelebris illa imago eſt, quæ ab advenâ Senis diſcedente clam in Gallias aſportata, ad orbatos cives cœlitus remeavit: certo planè pignore, à Gratiis in Senas ſuas liberaliter effundendis recedere, aut retrahi Dominam non poſſe confirmans. Ea, quæ deinde ſacrum cadaver illuſtravere, prodigia longum eſſet enumerare. Id unum ſilentio nequit involvi, quod ſe ipſum perpetuò loquitur. Quoties alicui è Pœnitentibus Senarum ſanctimonialibus fatum inevitabile imminet, ſonoro ſtrepitu ſuum pulſat CATHARINA Sarcophagum, quaſi illis, quæ coluere mortuam viventes, morientibus grata iterum vivat. Vitali certè ſopore obdormiſcit in Domino, quæ ſociis in ſupremo diſcrimine laborantibus ut animos ſuggerat, reſono motu ſubindè ſic expergiſcitur. Terreat alios anceps poſt mortis trajectum ad Superos, an ad Inferos evocatio. Vos, fortunatæ Pœnitentes, ſoror amantiſſima dum pulſando vocat, quis dubitet? ad ſe vocat.

Mira Virginis Imago quæ à Gratiis dicitur apud ſanctimoniales Pœnitentes Senis.

Ex vitâ conſcriptâ à Federico Card. Borromæo.

B. IOANNES COLVMBINVS,

Ord. Iesuatorum Fundator.

XXXI. *Iulii.*

ERat animus laudationem IOANNIS COLVMBINI à vetuſtis domus ejus imaginibus, longâque ſerie illuſtrium avorum auſpicari. Sed virtutem propriæ laudis copiâ abundè divitem per aliena decora circumferre non vacat. Hæc vel ipſo in vultu prodigioſè non ſemel eminere viſa eſt radiis ad ſolis invidiam effulgentibus. Sed nè mireris unde homini nato tantum cœleſtis favoris acciderit, vitam ejus, moresque, & quo impetu ad excellentem ſanctimoniæ gradum eniſus fuerit, paucis excipere grave ne ſit. Indignanti aliquando cum forte domum temporius ſe contuliſſet, nondum opportunè paratum prandium, Blaſia uxor, Cerretanorum genere & propria virtute nobilis fœmina, librum inſignia Sanctarum geſta continentem ad piè fallendum tempus obtulerat. Illum COLVMBINVS, alia quàm pietatis lucra animo revolvens, cùm in terram primo iræ impetu projeciſſet, acriùs uxori ſuccenſens, mox tumultuario illo æſtu defervente, humo reverenter ſuſtulit: ſacri quippe voluminis deſpectus graviori quodam angore animum ſollicitare jam cœperat. Cumque ſublatum humo codicem cœpiſſet evolvere, divino conſilio factum eſt, ut in hiſtoriam Mariæ Ægyptiacæ incideret, cujus celebre inter laudatas à longa pœnitentia fœminas nomen eſt. Et ecce in illius noxis ſua COLVMBINVS piacula ſenſim erubeſcere, ſe ipſum ad illius lachrymas lachrymabilem cernere; & ubi ſex annis ſupra quadraginta illam eluiſſe luctibus inter feras quicquid inter homines peccaverat, ſeriò percepit, ipſe quoque, melior jam verè Columba, amarius gemere, ſeque non tam extra urbes, quàm extra Mundum per religioſam vivendi normam ad dies noctesque fletibus jungendas accendere. Stimulis itaque longè alterius famis terrena omnia nauſean-

nauſeantis actus IOANNES, ſui odium, Deique amorem avidiſſimè cœpit appetere. Hinc ubi irrevocabili voto ſe ad omnes carnis illecebras evitandas obſtrinxit, veſtium vilitate, totiusque corporis ſqualore urbanas munditias, ornatumque, cujus antea ſtudioſior fuerat, egregiè vindicavit. Severiſſimis inſuper jejuniis, ſtatis precationibus ſomnum ſæpius interpellantibus, inflictis acerbiùs flagris, aliisque corporis afflictationibus animum, viresque impendebat; aſſidua interim Deo in ſuis egentibus, ægrisque peramanter præſtans obſequia, adeò ut uxor, quæ tamen ipſa illum olim provocaverat ad pietatem, eandem quaſi nimiam modò pertæſa, non dubitaret ex vulgari dicto ſubinde repetere, pluviam ſe cupiiſſe, non diluviem. Sed auream diluviem, & pretioſam tempeſtatem planè imprudens criminabatur. Certè imprudentiæ ſeſe ipſa damnare non potuit, ubi ſub ſpecie elephantiaci mendiculi, quem è principis templi foribus, pro quibus jacebat, ſuccollante IOANNE domum, ut refoveretur, aſportatum exhorruerat, latêre Chriſtum, aut aliquem è Cœlitibus deprehendit, ſuaviſſimo ex odore, quo ille è ſtrato ſtatim avolans, perfuſum cubiculum reliquit. At IOANNES labris Diviniori etiam ſuavitate affectis, quam per mille oſcula è carnibus ægri Medico ſuo egregiè ſalutaris libaverat, Chriſtum ex eo tempore unicè in ore privatis, publicisque ſermonibus habuit. IESV præconia per confertas populi vias dulciùs decantabat unà cum perfectioris vitæ adlectis ſociis, qui ab auſpicatiſſimo nomine, IESVATI meruerunt audire. Et illum quidem dicere ſolitum ferunt, ſe perpetuam vivendo mortem ducere, quòd Chriſtum paſſim non reſonarent hominum laudes, cordis Reparatorem ſuum amantiſſimum minimè redamantis gelidum frigus linguæ torpore per ſilentium accuſante. Quin & optati nominis oblivionem calamo quoque quoad poſſet expungeret, centum in epiſtolis, quæ ſuperfuerunt, licet perquàm brevibus ferè omnibus, millies & quadringenties Chriſti nomen expreſſit. Auſus eſt, opinor, feliciter æmulari inclytum,

Apostolus in suis epistolis repetit nomen IESV *ducenties, decies, & novies: Christi vero quadringenties, & semel.* Cornel. à Lapide in effigie S. Pauli cap. 1. num. 29.

ac percelebrem Magni Pauli amorem salutare nomen suis in epistolis sæpissimè ingeminantem, ut videlicet prædulcem vocem, quæ licet assiduè repetita, non tamen poterat in labris nascendo non emori, æternaret in chartis. Atque hac ratione IOANNES exhalabat utcumque, quem pectoris angustiis continere non poterat, Divini æstus ardorem, ipso sensuum experimento adeò præfervidum, ut nonnunquam amicus ab illo expostulans, quî posset summâ hyeme penè nudus frigoris impetum sustinere, ubi manum ita jubentis COLVMBINI pectori admovit, flammantem vim diutiùs ibi ferre nequiverit. Tantos intrà se ignes cohibens viri castissimi niveum pectus dixeris spirantem Ætnam, nisi flammis illa infernis, hoc cœlestibus æstuaret. Cæterum amantium more IOANNES Amori suo per adversa probare se debuit. Et probavit strenuè, dum ne populum ultra commoveret ad novi generis vitam, urbe patria, agroque exterminari constanti animo sustinuit, ac postmodum modestissimè tulit apud summum sacrorum Antistitem Vrbanum ejus nominis Quintum suæ, suorumque innocentiæ detrahi, quasi sub falsæ pietatis specie hæreticam re vera pravitatem occultarent. Verum & sagax prudentia graviorum ex Purpuratis, & ipsa Pontificis mens cœlitus illustrata, eorum vitæ integritatem non absolvit modò, sed insolitis etiam laudibus honestavit: patrocinantibus præsertim mirum in modum ipsis infantibus, qui parentes suas, ut IESVATIS benefacerent, monuerunt, sanè in justissimâ causâ persuadendâ oratores minimè infantes. Eorum vero, qui tam egregium Civem Senis proscripserant, errorem statim ab illius discessu cœlum per diros turbines, ingeminataque fulmina, morbosque varios immissos tam validè corripuit, ut per publicos legatos à IOANNE veniam simul, ac reditum submisse Civitas universa poposcerit. At longè frequentiùs benignitatis, quàm fulminum luce admirabilis COLVMBINI apud Deum potentia coruscavit. Gravi namque valetudine laborantes vel sui contactu pallioli, vel herbis, quas terra miræ charitatis afflatu

afflatu ad inſolitam beneficentiam provocata, repente dedit, priſtinæ ſanitati ſæpè reſtituit. Potuit quoque, ut integræ noctis decurſu ardens lucerna nihil planè alimenti abſumeret, efficere. Et veriſſimè oleum, operamque non perdidit, quippe prodigio luce ipſâ, quam fovebat clariori, conſobrinam ſuam Catharinam ad ſeverioris vitæ rationem, quam diutiùs ſuadere inſtiterat, tandem permovit. Illud verò planè mirandum : Vni è ſociis, Divino admonitu præſcripſit, ut quod in familiari colloquio lingua peccaverat, toto capite ignibus impoſito lueret. Obtemperavit ille, ipſâ non Iudicis, ſed Parentis ſui ſeveritate animatus, & toto in flammas capite procubuit. At, IOANNIS virtute igneas vires frænante, poſt certam moram revocatus, ne uno quidem crinium aduſto vividior è rogo ſurrexit, obedientiæ phœnix, ſed non poſt cineres : flammis interim linguarum vibrantium murmure COLVMBINÆ potentiæ plaudentibus. His aliiſque miris Illuſtriorem IOANNES reddidit, quam per aſperrima quæque publici præſertim contemptus exercitamenta probatam à ſuis aſſeclis exigebat, Obedientiæ virtutem. Et iſta quidem utpote virtutum omnium fœcunda parens tam claris dotibus conſpicuos illos brevi reddidit, ut ad publicæ pietatis incitamentum multi eos populi certatim expoſcerent. COLVMBINVS verò expleto duodenio vitæ ſanctiſſimis exemplis actæ, & Dei amori, animarumque ſaluti continenter impenſæ, dum Senas Viterbio repetit, meliorem in Patriam eſt avocatus. Terras reliquit anno à partu Virginis MCCCLXVII, poſtquam ſacerdoti ſuprema in ipſum pietatis munera obeunti procul ab arbitris multa prædixit, & inter charos filiorum amplexus effuſis teneriùs lachrymis inundantis cœleſtis lætitiæ fluenta confudit. Supremas voces publici chirographi fide exceptas, & ad poſteros tranſmiſſas, teſtes eſſe voluit eximiæ probitatis ſacrarum Senenſium Virginum à Sanctis Abundio, & Abundantio dictarum, illas compellans nullis Ordinum Chriſtiani Orbis omnium Virginibus honeſtate ſecundas, & ſanctimoniâ veriſſimè conſpicuas. Magna nimium

B. Catharinæ Columbinæ elogium in his faſtis legere eſt 20. Octobris.

Sanctimoniales Senenſes à S. Abundio dictas B. Ioannes moriens eximiè laudat.

mium vestra isthæc hæreditas fuit felicissimæ Virgines, tam præclarè laudari à laudatissimo viro, & quidem in eo vitæ articulo, in quo cum Iudicis æterni tribunal instet, sola Veritas voces exprimit à moriente. At vos ultra triumphastis obtento locupletiori juris hæreditarii thesauro, sacris nimirum ipsis relictæ à COLVMBINO spiritu mortalitatis exuviis, per plurima deinde prodigia se suosque simul illustrantibus. Sanè si viventi IOANNI insigne fuit in cœli transfugas mentes imperium, ubi digniùs à morte quiesceret, quàm iis in ædibus à quibus illas longè proscriptas cum gemitu fugere aliquot antè annos, ipse idem advertisse se dixerat? hoc quoque testimonio non leviter firmans ritè vulgatam famam, à melioribus Geniis gratas cœlo ædes olim fuisse constructas, quæ videlicet nequioribus non modò essent imperviæ, sed formidandæ. Vt jam Sena veritati Christianæ hoc exhibeat superûm ædificium, in quo de fabulosâ antiquitate triumphet, Trojam suam Diis architectantibus conditam jactante. Tumulati tam nobili loco sacri cadaveris venerationem diu auxit omnis prorsus labis expers integritas: donec imminente aliquando hostili exercitu, cum Religiosæ illæ Virgines intra Vrbem se recipere cogerentur, immisso (casu, an astu, incertum) in Divi Sepulchrum pluvio stillicidio, artus sacrosancti tabo cessere; si pedem excipias, qui hodieque intaminatus ostenditur. Credas hanc esse, quâ præcipuè se IOANNES terris ostentat, inviolabilem gloriam, Mundum & gloriam ipsam calcasse.

An. 758. sub Pipino Rege in Parthenonem à SS. Abundio & Abundantio dictam eximie benefico, cælites in construendum illius parietem operam impendisse feruntur.

Ex vitâ editâ à Feo Belcaro, Iosepho Bonafedio, Ioanne Baptista Rosso, Fastis Marianis, & à Scriptoribus Ord. Iesuat.

B. PHI-

B. PHILIPPVS MANCINVS,

Eremita.

SAlutarem lucem PHILIPPVS hausit à sepulchralibus tenebris, & mors jam jam imminens, meliorem tandem illum revocavit ad vitam. Abluserat ipse diu ab avitâ nobilitate, & Laurentio illustris pietatis fratri Episcopo Clusino, sororique inter sanctimoniales virtute clarissimæ se moribus germanum abnuerat; alearum ludis ad aleam usque salutis jaciendam intentus, & per ætatis lubricum reliquæ juvenilis licentiæ specimen præbens. Et soror quidem cæcam illius intemperiem nimium quantùm dolens, cum invisentem subinde se PHILIPPVM moneret, Divinâ clementiâ ne ultra abuteretur, sed dum res sineret, mores suos, vitamque corrigeret, hæc à discedente verba semper exprimebat, Tibi obtemperabo, ne dubites. Diu tamen differentem, & novis indies voluptatibus in diversa distractum, ita denique Cœlum, ut serio obtemperaret, evicit. Romam fortè progressus curioso veriùs, quàm pio animi studio, adivit aliquando triumphales cavernas ad S. Sebastiani templum sacris nobiles illorum exuviis, quos fusi pro Christo sanguinis purpura fastis æternitatis inseruit. Atque ut illas tunc temporis per longissimos tractus variis mæandris, ac flexibus subterraneæ semitæ distinguebant, dum remeare ad primos aditus PHILIPPVS nititur, in alios, aliosque viarum errores incautè divertens, absumpto interim illatarum facum alimento, cæcâ extemplò nocte pressus inhorruit. Hærere primò consilii incertus, mox tentabundus gressum sollicitè hac, illac suspendere, si casus exitum daret, quem negabat consilium. Frustra tamen è labyrinthéis illis ambagibus evadere conatus esset, nisi dux vetere Ariadna longè præstantior Virgo Maxima præsentem opem tulisset. Elapso itaque ferè triduo, quo se ante sepultum quàm mortuum sæ-

Iulii.

pius MANCINUS ingemuit, in Patronam Virginem ſpem animi omnem convertens, voti religione interpoſitâ ſpopondit, ex terrenarum voluptatum ancillariolo fore, ut ad Divinos ipſius Reginæ Cœlitûm amores per veram pœnitentiam aſſurgeret, ſi ſe ſupremo diſcrimini ſubducere dignaretur. Et ecce per tenuem fornicis rimam lucis ad ſe radium (aureum diceres propitiæ Virginis filum) pervadere intuitus, elatis quoad poterat vocibus ruſticos in ejus loci ſuperiori parte terram ſubigentes, ad ferendum auxilium excivit. Vnde humo capaciùs erutâ ſemianimis tandem ad liberum aërem eductus eſt. Verùm hac libertate potitus feliciorem aliam ſibi ipſi paulò poſt captivitatem indixit intra ſpecum Senenſis ditionis (Ermetam dicunt) ad radices Amiatæ Montis, quem Theſia, aut ex aliorum ſenſu, Erminia, Rachiſii Longobardorum Regis uxor, pietate nobilis, reddidit ſolitariâ habitatione præclarum. Ibi dimiſſis omnibus, quibus pollebat, divitiis, ſeu veriùs per manus pauperum cœlo in æternum fœnus transmiſſis, duriſſimâ ſui corporis affligandi ratione anteactæ vitæ dedecus abolere contendit. Et primò quidem vindicaturus gulæ libidinem, ac ingluviem (adeò Senis celebrem, ut ob inertem ſaginam, quæ membris ſuccreverat, vulgo Pippus Quadrus audiret) ſolis herbis, fruticumque radicibus diutiſſimè victitavit. Adhibuit quidem interdum pecudum carnes, ſed in oris, odoratusque ſupplicium: putridas quippe verminantesque labris, ac naribus non ſolum admovere, ſed ad longum temporis ſpatium ingerere non dubitabat. Cæterum ex eo temporis tunicâ cinyphiis villis, ſetoſiſque aculeis hiſpidâ artus conficiens, nudis aſſiduè pedibus ſoli vel ſaxei vel etiam ſpinoſi aſperitate diſcruciatis, premebat ulteriùs atrociter latera duplici ferreo cingulo. Quæ nec longiſſimis itineribus, poſt multos ſolitudinis annos peractis tam in Hiſpaniam ad S. Iacobi tumulum, quàm Hieroſolymam ad ſacra Dei hominis veſtigiis loca; nec in ipſâ graviſſimâ ægritudine poſuit; donec indefeſſo Pœnitentiæ Militi beatam morienti vacationem Cœlum decrevit. Quin ut profiteretur, tanquam

Rachiſius poſt Peruſiæ obſidionem fundavit in Amiata Monte celebre Aſceterium S. Salvatoris An. Dom. 742.

De Regina vide Pium II. lib. 9. commentar. Malavoltam par. 1. lib. 2. *Pius tamen Regem vocat Rotharim.*

quam mancipium Reginæ Superûm, omnem ſibi licentiam, libertatemque præcidiſſe, ferrum collo circumductum ad ſupremum uſque ſpiritum geſſit: jugum fateor, ſed roſeæ Virginis manu illud levante longè ſuaviſſimum! ea certè ſervitus Romano pileo, omnibusque vindiciis fortunatior PHILIPPUM mirâ Patronæ cœleſtis ope captivitati diræ ſubduxit, cui ipſum in Palæſtinâ Turcæ ſubegerant: ſed & poſt reditum in domeſticam ſolitudinem ab infernis hoſtibus longè infenſiſſimis per innumeros in illum dolos, cruciatusque ſævientibus incolumem, victoremque ſervavit. Iſtos autem perduelles ut MANCINUS à ſe validiùs averteret, in eremo S. Marini nuncupatâ, quaſi caſtrenſe vallum, altâ humo ſepulchrum egeſſit, ac deinde coluit: ut objecto ſuis oculis perpetuo lethi terrore, lethales corporis illecebras vividiùs pertimeſceret. Cum tamen ibi quoque infeſta fœdarum cogitationum agmina veluti per cuniculos Orcus ſubmitteret, ingeminatis, ad Hieronymi exemplum, ſaxorum ictibus, illas propulſabat è pectore. Triumphare quidem ſemel ſibi viſæ ſunt Furiæ, dum in nocturnum furem clepentem pauculas, quas circa ſpecum ſuam colebat herbas (ſubindè lachrymis irrigans, ut nonniſi pœnitentiæ fructibus paſceretur) adeò PHILIPPI iram extemplo provocarunt, ut baculo, quem præ manibus habebat, primo quodam impetu leviùs illum percuſſerit. Verum ſibi ſtatim redditus, ſubitæque indignationis in animum ſuum incurſionem, & graviùs quaſi latrocinium execrans, hominis illius genibus advolutus, infimis tandem precibus exoravit, ut eodem baculo validis, plurimisque verberibus inflictis pœnas à percuſſore repeteret. Atque ita denique inſultantem Tartareum hoſtem indolere coëgit, quod viciſſet. His, aliisque relatis quammultis palmis, & domeſtico illo mortis propugnaculo ſtrenuâ ſtatione defenſo, Mors ipſa gratior ad cœli Capitolium triumphantem PHILIPPUM evocavit: poſtquam eandem moriendi doctrinam, quæ tam altè illius animo inſederat, ut Senenſem populum erudititiſſimus Magiſter doceret, ſuperi monuerunt. Ad efficaciùs

Anno 1486. vel ſequenti.

id præstandum, tacitâ ipsâ Mortis imagine perorare Civium oculis statuit MANCINVS. Vrbem proindè ingressus, extincti hominis calvariam, quam manu gestabat, in principis Templi arâ maximâ miranti populo contemplandam objecit, hâc adjectâ luridæ fronti epigraphe, *Estote parati.* Quid res portenderet, ab exterritis rogatus, ei, qui sibi à confessionibus præerat aperuit, mox à morte per diros animæ afflatus, virusque spirabile Senas horrendum in modum esse vastandas: quod anno octogesimo quinto supra millesimum & quadringentesimum tristis eventus comprobavit, sed minus feriens quia prævisus: Beneficentissimus planè Patriæ vates, quippe qui hostis imminentis insidias eò graviores, quò occultiores opportunè detexit: ac mirum in modum pavorem necis abstulit incutiendo. Ex præscripto namque gravissimi Philosophorum, Mortem ut nunquam timeas, semper cogita.

Seneca, epist. 30.

Ex Tertiâ Parte Hist. Sen. conscriptæ à Sigismundo Titio, & ex manuscriptis Sodalitatis B. M. V. de Scala.

AVGVSTVS.

AVGVSTVS.

B. STEPHANVS MACONVS,

Carthuſianus.

VII. *Auguſti.*

PRima STEPHANI laus eſto, quod vel antequam Religioſo Ordini nomen daret, à laſciviente Iuventute per ludibrium *Catharinatus* vocitabatur, hoc eſt Magnæ Virginis Catharinæ Benincaſiæ alumnus addictiſſimus. Et ille quidem glorioſo convicio uſque adeo ſe extulit, ut ad amicum ſcribere non dubitaverit, in cæteris Catharinæ diſcipulis quendam invidiæ ſenſum eſſe excitatum, quod erga ipſum maximè pronus favor Virginis videretur. Enimvero quomodo illa eximiè non diligeret inclytam animi demiſſionem, qua Iuvenis Corrado Macono, & Ioannâ Bandinelliâ primariæ nobilitatis parentibus ortus, & opibus vel ad luxum inſtructus, ad munus uſque amanuenſis illi præſtandum deſcendere non dubitaverat? STEPHANVS autem quid non obſequii gratâ vice expenderet Catharinæ, cui ſuam corporis, animique ſalutem referebat acceptam? Vbi enim Virginis monitis, & exemplis incitatus ſeſe collegit, atque ad bonam frugem è profligatâ vitâ redivit, à Magiſtræ ſuæ in immutandis pervicacibus animis mirâ efficaciâ obtinuit, ut Ptolemæorum, & Renaldinorum familiæ per ea tempora præpotentes implacabile in Maconos odium extemplò ponerent, & urbe univerſâ demirante veniam non minus poſtularent, quàm darent. Præterea & ardentiſſimæ febri, in quam Genuæ ex itinere inciderat, & neci in Senenſi agro à latronibus intentatæ, per ſubita prodigia, illum Catharina ſubduxit. Quin etiam cum Virgo Romæ lethali morbo decumberet, quaſi triumphum ex hac mortalitate in cœlum agere planè læta nequiret, niſi anteà STEPHANO ſuo bene ſupremum diceret effecit, ut ad aures illius (dum nocte

quâdam Senis oraret cum reliquâ Deiparæ Sodalitate, cui nomen à Scalâ) hæ voces cœlitùs resonarent: *I Romam, festina, instat enim cara Matris abscessus.* Ille verò non ire, sed amore alas suggerente volare visus, opportunè adfuit, ut hæreditarias è morientis ore gemmas legeret: quarum pretiosissima dubio procul fuit ingressus in Carthusianum Ordinem, gravissimis verbis ab illâ ipsi præscriptus. Ita videlicet Catharina facilè consequendam esse à STEPHANO prospiciebat sanctimoniam illam, quam literis ad ipsum Senis degentem datis ominata fuerat, ipso scribendi initio hæc habens: *Carissime, ac dulcissime Fili in Christo dulci* IESV. *Ego Catharina serva, servorumque* IESV *Christi mancipium tibi pretioso ejus sanguine scribo, te in speculum virtutum formari excupiens, ut vita exemplo, doctrinâ, ac jugi humilique prece instrumentum sis ad animas è dæmonum faucibus eripiendas, & ad Deum* IESVM *dulcem veritatem, sicut à nobis exigit revocandas.* In quam sententiam postquam multa congessit, sanctè asseverat, se, ex quo primùm tempore ipsum noverat, nihil sibi secundum Dei gloriam ejus salute antiquius fuisse. Iam verò dubitare quis possit, tam felicibus auspiciis, tantisque incitamentis Seraphicæ Virginis, & multò magis illius ad cœlites translatæ beneficentiâ STEPHANVM motæ de se expectationi cumulatissimè respondisse? Reversus igitur in Patriam, & à laqueis expeditus, quibus incitatos suæ pietatis impetus, adversa semper excellenti virtuti propinquorum benevolentia retardabat, illustre Pontignani Carthusianorum cœnobium ingressus est. In eo potissimum ex omnibus Religiosis familiis instituto suscipiendo peculiare quoddam patriæ suæ erga Carthusianos obsequium sequutus, quippe quæ unicum in toto Christiano Orbe exemplum est triplicis unâ in civitate Carthusiani Asceterii. Quo nomine celebrem latè in ore hominum Senensem pietatem semper fuisse illustre testimonium extat Ioannis Galeatii Vicecomitis Mediolanensium Ducis in quadam epistola anno salutis 1384. ad Senensem Rempublicam data cum honorifica hujus laudis comme-

commemoratione ampliſſimis facta verbis. Ibi itaque STEPHANVS religioſam diſciplinam eo ſpiritus ardore ſuſcepit, ut in ipſo tyrocinio jam emeritus videretur. Talem certè approbavit ſacræ illius familiæ judicium. Nam integro anno nondum elapſo, ex quo ſolemni profeſſione ſuæ Religionis vota ſuſceperat, ipſi Pontignani aſceterio præfectus eſt. Tanti ad voluntates ſociorum ſibi devinciendas momenti fuit, excellens omnis virtutis, & perſpectum in eo ſtudium, præcipuè humilitatis, piæ in ſuum corpus ſævitiæ, accedebat orandi, meditandique ardor aſſiduus, in quo ne quid ſe quantumvis leviter interpellaret, à nemine prorſus exterorum adiri per omne probationis ſuæ ſpatium ſuſtinuit. Sodalium de STEPHANI meritis opinionem brevi auxit cæterorum veneratio; quos inter B. Raymundus à Vineis Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter ſuam de illius ſanctimonia mentem hoc dicto teſtatam reliquit: *Nunquam recolo, me in Ordine illo* (Carthuſianum intelligit) *vidiſſe, vel audiviſſe tam celerem, celebremque virtutum profectum.* Ipſa Senenſis Reſpublica in literis ad Ioannem Galeatium Mediolanenſium Ducem, qui viri famâ permotus ad ſe illum acciverat, moleſtè nimis ab univerſis civibus illius diſceſſum ferri profitetur, *ob maximam* (inquiunt) *probitatem nobis benè perſpectam.* Memor vero STEPHANVS oraculi, quod diximus Magiſtræ ſuæ Catharinæ, quo ſe procurandæ aliorum ſaluti deſtinatum ſciebat, ita in ſe ipſum à Divino ſpiritu gratias corrivabat, ut in alios ubertim effunderet. Hinc teterrimas civium inimicitias, quæ virulentis jamdiu radicibus animos occupaverant, ſuavi quadam efficacitate evellebat, quamplurimos à perditis moribus cum Deo revocabat in gratiam, & ut Mundi fallacias aſſumpto monaſticæ vitæ inſtituto eluderent, cœleſti quadam, ac præpotenti facundiâ permovebat. Nobili adoleſcenti ab ineunte ætate oculis capto ſalutare procul dubio collyrium promiſit, ſi Romam ad Catharinæ Senenſis tumulum ſe conferret, deteriori tamen animi cæcitate prius dilutâ, cujus fœditatem, pro conceſſa ſibi divinitus ad

22. *Iunii* 1389.

intro-

introſpiciendas mentes hominum ſagacitate, perſpe-ctam penitus habebat. Obſequens ille, vix purgatâ à noxis conſcientiâ ad ſepulchrum Virginis beatæ ſeſe in preces dedit, cum luminum uſu ſibi reſtituto exiliit, cujus accepti à Deo beneficii non minorem conſilio STEPHANI, quàm Catharinæ deprecationi gratiam habere teſtatus eſt. Multò etiam admirabiliori luce STEPHANVS mentem perfudit lethali caligine jamdudum obſeſſam Athanaſii cujuſdam Carthuſiani apud Neapolim Monachi, inſigni generis nobilitate, gratiâ apud principes viros, & opibus malè comparatis adeò in ſuam perniciem pollentis, ut omnem in licentiam ſeveriſſimæ ſuæ profeſſionis immemor, paſſim excurreret. Poſtquam ab eo monendo, objurgandoque irrita graviſſimorum ſui Ordinis virorum eloquentia, & authoritas ſæpe diſceſſerat, ac ne Vrbani quidem Sexti Romani Pontificis majeſtas ſatis virium habere viſa eſt, Senas ad STEPHANVM mitti hominem placuit, qui tractatis ſolerter, accuratéque animi ejus vulneribus, nec tam ſeveritate, quàm lenibus, & ab exquiſita quadam prudentia petitis remediis, ad curationem adhibitis, brevi ſic immutavit, ut ſacrificanti ſibi aliquando, capto divinitus impetu, ad pedes acciderit, profuſiſque lachrymis præteritos deteſtatus mores, illum diem inpoſterum caſtigatioris vitæ futurum initium, ſanctiſſimè ſit pollicitus, id quod optimâ deinde fide re ipſa præſtitiſſe dicitur. Tam efficax religioſiſſimi Patris pietas eò etiam clariùs enituit, quod dum Eccleſia, adeoque ipſe Carthuſianus Ordo à Roberto Gebennenſi Clementis Septimi nomen ſibi per nefas aſciſcente, aliisque poſt illum Pſeudopontificibus miſerè diſtraheretur in partes, STEPHANVS pro illo, qui Chriſti vices legitimè gerebat, non ſtetit modò, ſed etiam ut multi præterea fluxæ, & natantis alioquin fidei ſecum unà ſtarent, nullis parcendo laboribus obtinuit. Qui pietatis ardor ita in ſe oculos hominum, animoſque convertit, ut in generalibus comitiis, quæ ſeorſim habuerunt veri Pontificis cauſam propugnantes, incredibili cum omnium plauſu ſupremus Ordinis moderator

rator

rator sit renunciatus, non sine felicissimo publici de eo judicii successu; neque enim non optimus in edito dignitatis gradu dicendus est, qui infimam animi demissionem, comitem suæ magnitudinis assiduam esse voluit; cujus opus, ut cætera sileam, illud inprimis nobile fuisse dicitur, quod certo mendicorum numero sua manu stipem quotidie porrigere,ac pedum sordes abluere solemni habuit in more. Verùm cum honores studiosiùs fugeret, quàm alii persequantur,non multo post eo se munere ultrò abdicavit: eâdem animi altitudine in deponenda Ticinensis postea asceterii præfectura usus, in quo tamen privatus agere propter singulare quoddam erga illud studium diu perrexit, quòd virtuti suæ idoneum illum campum ad excurrendum,atque ad edendam sui speciem existimaret. Nimirum Ioanni Galeatio Vicecomiti,& Catharinæ uxori Mediolanensium Ducibus præcipuus author ille fuit ejus ædificii in eam amplitudinem, & speciem extruendi, ut non solum eorum omnium, quæ tunc erant,sed eorum etiam quæ posterior ætas, ædificandi multo studiosior tulit, meritò nobilissimum habeatur. Hic itaque reliquis solutus curis, Deo sibique vacare unicè cœpit, rebus Cœlestibus assiduâ meditatione, ac desiderio usque adeò intentus, ut cum orandi nimius esset, nec respondentes tantæ animi contentioni corporis haberet vires,in summo vitæ discrimine versaretur; rogatus à sociis amantissimè sæpe sit, eo de studio aliquantum remitteret; quibus tamen ille respondere solitus erat, *ô me beatum, si mors abripiat in Dei mei consideratione versantem.* Et planè talis in Cœlum abreptus est,dum septimum circiter,ac septuagesimum annum ageret. Illud inter cætera in beatissimo ejus exitu memoratu dignum fuisse traditur, quòd qui sanctissimum Catharinam ad exemplum perfectæ virtutis ab ineunte ætate sibi delegerat, ejus memoriam quomodo in omni reliqua vita, ita etiam novissimo illo casu adeò tenaciter retinebat, ut suavissimum ejus nomen inter extremos exeuntis spiritus singultus cupidissimè iteraret.

Ex vitâ editâ à Bartholomæo Senensi Carthusiæ Florentinæ Monacho.

IOANNES A S. GVILIELMO,

Congregationis Discalceatorum Augustinianorum.

XIV. *Augusti.*

SEna Virginis in sinu Cœlo renata, suum ipsius invicem sinum exteris Christianæ perfectioni renascituris perlibenter accommodat. Testem, quo non alius luculentior, hoc eodem sæculo damus IOANNEM, cui cognomentum factum à GVLIELMO ex Aquitaniæ Duce inter Sanctos Anachoretas percelebri: natum in Oppido Picentium Monte Cassiano, perfectæ verò sanctimoniæ renatum in maritimâ Senarum orâ. Nec verò inanem magnorum nominum titulum tulit, quandoquidem Ioannis, inter MARIÆ adoptivos primi, & Guilielmi pœnitentiæ atrocitate prænobilis partes facilè omnes explevit. Virgineum primò quidem Apostoli candorem tam eximiâ corporis, mentisque integritate ad supremum usque spiritum coluit, ut conscientiæ suæ arbitro sanctè testatum voluerit, toto suæ vitæ curriculo ne leviori quidem noxâ se arduæ hujus virtutis purissimam speciem infuscasse. Scilicet castimoniæ lilium ut servaret innoxium, non modò rigidioris disciplinæ spinis circumsepsit, & perenni lachrymarum, ac sanguinis irrigatione candidiores illi spiritus inhalavit, sed pervigili sensuum custodiâ, linguæ præsertim, atque oculorum, quos in mulierum conspectu nunquam non submissos habuit, fugâ otii, Cupidinis sagittas operosiùs acuentis, & solicitâ ut maximè animi demissione, præpavidâque modestiâ tutissimum reddidit: id subinde dictitans, ut prunas cinere, ita certâ suæ humilitatis cognitione foveri virtutes. Charitatis verò Apostolicæ flammas castimoniæ nivibus arctissimè fœderatas, quàm fervidè suo aluit in pectore novus IOANNES! Vt ille olim in Pathmos Insulâ, ita hic, ut divinis amoribus liberiori commentatione vacaret, asperam, horridamque in plagâ

plagâ maritimâ solitudinem præoptavit: tam assiduâ mentis in superos contentione, ut Gaspar Cardinalis Borgia, & Iulius Sansedonius Episcopus Grassetanus asserere non dubitaverint, ex quo IOANNES eremum coluit, ejus animum à Divinæ præsentiæ consortio nunquam abscessisse, ejusdemque vitam (si tres, aut quatuor nocturni soporis horas excipias) perpetuam fuisse cœlestium contemplationem. Abalienatum prorsus à sensibus, ac prodeuntibus ex amoris incendio igneis radiis toto ore conspicuum sæpè suspexêre non pauci. Imò dum familiariter cum cæteris versabatur, animo in æterna abreptus, quo se cibo refecerit, ubi locorum fuerit, planè ignorare, & calcatas spinas, prunasque ipsas persentire minimè videbatur. Verùm quàm Deum flagranter dilexerit, ex antiquo Ioannis oraculo, argumento sit studium illud, quo alienam corporum, animorumque salutem curabat. Suorum Fratrum regimini subinde Præfectus, omnia omnino omnibus factus, præscriptum illud Augustini sanctissimi Parentis ad amussim implevit: Ipse verò qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem. Incredibili pietatis sensu in miseros egestate pressos ita ferebatur, ut gravissimâ omnium ipse vexatus inopiâ aliis sublevandis supra triginta aureorum millia in stipem erogasse feratur. Suis iisdem vestibus miseros tegere, nosocomiis sedulam operam impendere, gravissimè olentes ægros abluere, tergere, amplexari, & ipsa tabo fluentia illorum ulcera suaviari familiare habuit. In aliquos ipsi impiè infestos se maximoperè propensum exhibuit ad agendas usque genibus flexis grates, sacram etiam nequissimi hominis manum, quæ illi alapam inflixerat, prædulciter deosculatus. Demirata quidem sit Catonem suum antiquitas, qui, cum illi os percussum esset, non excanduit, non vindicavit, injuriam non remisit quidem, sed factam negavit; majore animo non agnovit, quàm ignovisset. Quid tum? Quantò admirabilior IOANNES, dum non ignovit modò, sed gratiori obsequio beneficium in ipsâ injuriâ munus agnoscere visus est? Mutuam porrò charita-

Ioannes illam in plagâ Senarum maritimâ solitudinem coluit, in quâ Guilielmus Aquitaniæ Dux, post expiata crimina arduis ad loca Sancta peregrinationibus, asperrimisque suppliciis, sanctissimè obiit an. 1156.

S. Augustin. in Regul. sui Ordinis.

Seneca, Quod in sapientem non cadit injuria. cap. 14.

charitatem ſodalibus crebriùs commendatam voluit, quam ut ſtudioſiùs foveret, ſi quem ab altero quâcumque tandem injuriæ ratione affectum noverat, ad offenſi genua provolutus veniam, quaſi ipſe læſiſſet, implorabat, atque adeò utrumque facilè revocabat in gratiam, planè ut eum pro animâ geſſiſſe charitatem intelligas, ſuprema verba ad circumfuſos decumbentis lecto Socios facturus, non alio quàm in cognominis Apoſtoli celebri monito, Filioli diligite alterutrum, vitam poſuit. Quæ verò charitas alienos inter ſe animos nectere adeo ſtuduit, multò maximè iiſdem ſupremo Numini conciliandis operam dedit. Hæc una vis IOANNEM ab adamatæ ſinu ſolitudinis abſtrahebat, ut ad populos Divinis per illius os vocibus avidiùs auritos concionaretur, non in Hetruriæ modò primariis Vrbibus, ſed Genuæ quoque, ac in ipſâ urbium Vrbe, oratorem è ſylvis divinitùs cultiſſimum demirante. Et quidem tanta ubique gentium ſanctimoniæ fama incedentem proſequebatur, ut nonniſi reſectis à venerabundâ frequentiâ in fruſta veſtibus domum regrederetur, & armatis ſubinde militibus opus eſſet ſternendo itineri, ne ipſâ obrueretur piâ multitudinis violentiâ, Virum propiùs inſpicere, ac tangere contendentis. Incredibile dictu eſt quàm ſalutari fructu verba ad aures, & ad animos caderent, belluinas mentes in cœleſtes refingentia. Ipſis obtutibus perquàm efficaciter IOANNES perorabat, adeo ut teſtatum multi vellent, nullâ ratione ſe magis à patrandis criminibus abſterreri, quàm vi ab hujus viri oculis emiſſitiâ. Homines abruptæ ſpei, licet de illorum ſalute conclamatum videretur, pœnitentiæ tandem pudore culpas ut redimerent, evincebat, lachrymis ad eorundem pedes largiùs effuſis, & multò etiam largiori cruentarum, quas à ſe ipſo pro illis repetebat, pœnarum impendio. Vt denique ſe planè IOANNEM probaret, addictiſſimum præſtitit Divinæ Virginis filium, adamatæ Parentis iconem intimo pectore ferens aſſiduè. Quantùm Reginæ Maximæ animum gratiori obſequio ſibi demeruerit, ex uno ſatis intelliges. Quòd coronam Angelicis ſalutationibus per decades

decades recolendis ſacram fortè amiſiſſet, inconſolabilem ſe adeo exhibebat, ut qui conſcientiam illius moderabatur, ipſum redarguere non ſit veritus amoris planè nimii, & à nudâ penitùs paupertate alieni. Ad hæc religione ſubitâ occupatus IOANNIS animus, ut eâ in re noxæ, vel levioris periculum certiùs exploraret, opportunum credidit, arcanas ſoliciti in eam coronam ſtudii cauſas Confeſſario retegere. Narravit proinde ingenuè, dum aliquando Virginum Maximam precibus invocaret, ipſam è Cœlo Dominam aſtitiſſe conſpicuam, ſolis nitore trabeatam, & quem ulnis geſtabat, Diviniorem ſolem Puellum amabiliſſimum obtuliſſe precanti amplectendum: tum verò ſubdidiſſe, an munus præterea aliquod haberet in votis. At ipſe lacteolos cœleſtis pedes Infantis prædulciter ſuaviatus, Poſt omnium felicitatum cumulum Deum obtentum, quid, inquit, ultra ſperem, quid cupiam? quia verò jam te meis è manibus evolantem video omnium dulciſſime amorum Amor, teque pulcherrima Mulierum ex oculis, Eheu! jamjam dimittam, agite gemini ſoles mei, & in abſceſſu ſalutarem cæteris quoque virtutem aliquam ſacræ huic Coronæ ſuperſtitem relinquite. Arriſit uterque blandiùs, ſpoponditque coronam illam eâ, quâ par eſt pietate tangentibus, ægris præſertim animis, corporibusque mirè auſpicatam, & feliciter operoſam fore. Hæc IOANNES ſuorum arcanorum arbitro: quibus ab hoc vulgatis fidem aſtruxêre prodigia, piam Populis venerationem per Coronam illam poſtmodum repertam profuſè proſperantia. Iam verò qui novum IOANNEM ſuſpexiſti, novum quoque videſis in Heroe noſtro GVILIELMVM inſolitæ auſteritatis exemplar. Vbi namque ad ſanctiorem, ſeverioremque Religioſæ vitæ normam cœlitùs permotus pœnitentis illius Ducis ſolitudinem tenuit apud ſtabulum Rhodis, inſalubris Cœli gravitate, horridâque aſperitate adeo famoſum, ut novum Malæ Vallis nomen ſibi pepererit; IOANNES quoque ferreâ loricâ

Poſt ſeptem annos in cœnobiis Eremitarum Auguſtinian. traductos an. 1597 ad S. Guilielmi ſolitudinem Ioannes perrexit: ex quâ 3 Maji 1621 ad Diſcalceatos tranſiit, impetrante Roberto Card. Bellarmino, & annuente Gregorio XV.

loricâ nedum corpus afflixit, cilicio ſuperinducto, ut veſtem arcendo, frigoris intemperie immanis ponderis dolorem augeret. Ferreo præterea cinctu brachia tibiasque premens, flagris item ferreis è carnibus latè diſciſſis ſanguinem exprimebat. Porrò per ſeptem ad minimum, quos à pœnitentiâ dicimus, Pſalmos cruentam flagellis tempeſtatem producere in more habuit. Lumbos aculeatâ catenâ penitiſſimè ita transfodit, ut cum hanc aliquando amovere cogeretur, caro paſſim in tabida fruſta diffflueret. Ex acutis quoque illorum dentibus pectinum, quos expoliendæ lanæ adhibere mos eſt, novum thoracis genus cruciandis artubus excogitavit, atque ubi in patientis Chriſti dolores mentem intenderet, humi ſeſe diutiùs volutabat, ut ferreis aculeis altiùs confoderetur. Vſque adeo afflictum corpuſculum parciſſimè reficiebat, familiari adagio dictitans, ſat nimium eſſe fami panem, ſiti frigidam, aſſerem ſomno. Quòd ſi lautiùs interdum alienas ad menſas cœnare cogeretur, quamvis, guſtatum quaſi funditus perdidiſſet, nullis eduliorum illecebris caperetur, nihilominus graviori aliquo ſupplicii voluntarii genere conſuetæ rependebat abſtinentiæ jacturam. Quamobrem jure meritò Sanſedonius, quem laudavimus, Præſul interpoſitâ ſacramenti fide teſtatum reliquit, neminem ad id uſque temporis ſibi cognitum eſſe divitiarum, deliciarumvè adeò efflictim cupidum, quo non longè impenſius IOANNES pœnas, afflictionesque ſibi videretur ſequutus. Neque verò remiſſiori ſtudio novus hic GVILIELMVS in perverſos quosque animi affectus caſtigandos inſurrexit aſſiduè. Honoris cupidinem noſtris altè mentibus inditam penitùs preſſit, atque adeo nihil illi amariùs accidebat, quàm illud humanis auribus acroama tam dulce, Hic eſt. Româ diſceſſurum dum parata in Tyberi ratis præſtolabatur, quia ingentem populi vim fluminis ripas obſediſſe intellexit, ut ſolventis Viri laudatiſſimi ſupremo conſpectu expleret oculos, in proximo Noſocomio uſque delituit, dum multitudo longiori expectatione fatigata diſcederet: tum verò navim conſcendens, hoſtemque gloriam rurſus inſectantem

tem

tem pavens fugitivi instar nautas ad subitum, celeremque discessum adegit; Cum primùm è Piceno Senas migravit, ut publicè ludibrio haberetur, squallente barbâ, crinibusque sordentibus informis, vilique centone inconditè tectus incessit. Nec satis: gestus subinde edebat insaniam mentientes, ut probrosiores plausus captaret. Et cecidit res aliquandiu è voto, puerili turbâ sibilis excipiente amentem quasi petronem, ac veluti sylvestre hominis monstrum. Donec in forum progressum sacro impellente spiritu ad confluentem populum tam appositè de rebus cœlestibus peroravit, ut quem jam stolidum riserant, mox sanctè sapientem mirarentur. Quod autem IOANNES religiosam obedientiam certiorem esse vitiorum omnium domitricem probè sentiret, ut quæ nimirum Augustino pronunciante, una plus valet, quàm omnes virtutes, illius adeo studiosum sese perhibuit, ut licet supremi Præsides Augustinianæ disciplinæ publicis literis illum cujusvis alterius Moderatoris imperio exemissent, quocunque tandem in cœnobio versaretur, alieno semper arbitrio sese submiserit. Hominem supra hominum aleam tam solidæ nisu pietatis evectum, quid mirum, ipsam post se attonitam naturam traxisse, & per innumera prodigia morbos, ac mortem ipsam, rabie percitas feras, aves, pluvias, maritimas tempestates, elementa denique omnia, obsequentia nutibus habuisse? Arcanorum inspectio cœlitus oculata, & varia vaticiniorum vis non rerum modò compendia persequentem, sed fusiorem historicum fatigarent. Vnum perstringo, quia Senis gestum. Cum princeps Senensium templum aliquando IOANNES precaturus subiisset, perditæ licentiæ juvenis illum despiciens, ad comites conversus, Hiccine, inquit, concionator ille sanctus? Vix ea, cum IOANNES, longiùs licet positus audire humanitus nequiverit, è vestigio surgens, eidem à Sociis avocato hæc in aures insusurravit: Quanto satiùs tibi esset, mi juvenis, pœnitentiæ lachrymis illum prosequi, quem infando parricidio necatum in imâ tuæ domus parte nuper contumulasti. Enimvero ita salutato vox intermor-

S. Augustin. Serm. de humilitate, & obedientiâ.

tua

tua faucibus hæsit, & nempe cachinnos in gemebundum horrorem, atque altum Viri vertit obsequium. At mitto cætera viventis prodigia, cum ipsum IOANNIS cadaver veluti admirabilium omnium epitome scribentem ad se unicè rapiat. Annum agens ætatis suæ quintum & sexagesimum, traductis in Senarum, aut veriùs Virginis ditione annis circiter quinque supra viginti mortem sanctiùs obiit IOANNES in oppido Battiniani die Sabbati, hoc est eidem Virgini sacrâ, Augusti decimâ quartâ, proximâ nempe luci cœlestibus Amantissimæ Dominæ triumphis illustri, ut ipse idem planè prædixerat. Productâ deinde honorariâ funeris pompâ (supra octo hominum millia confluxerant) Battiniano ad Discalceatorum cœnobium milliari distans, emortuale sacrum solemnius fuit, æternamque extincto quietem ritè imploravit Grassetanus ipse tunc temporis Episcopus Franciscus Picolomineus. Atque ubi viri cadaver octiduo venerabundæ adventantium pietatis oculos explevit, abiegno sarcophago inclusum in ea cœnobii parte contumulatum est, quam non multò post pluvius forte humor illabens latè vitiavit. Corruptus odor indè prodiens, post quinque tandem menses loci Moderatorem excivit, ut viri piissimi exuvias in honestiorem locum transferret. Arcæ intima penetraverat pestilens humor, atque adeo vix ossa tabo eximia sese inventuros religiosi scrutatores censebant. Cum ecce tibi putridis involucris submotis, usquequaque integerrimum, vividumque corpusculum enituit, ex quo cum nescio quis unguem piè rapere clam contenderet, sanguine statim exiliente permotus, cœpto abstitit. Visa proinde est tanti hominis caro, inter voluntarias viventis pœnas quotidie olim emoriens, ipsâ postmodum morte ad incorruptum vitæ admirabilis genus excitari. Gratulari itaque tuæ felicitati etiam, atque etiam juvat Vir optime, Ioannis Apostoli, Guilielmique Aquitanici tam mirè spirans imago. Enimverò perdideras corpus tuum, perdideras planè, nisi perdidisses.

Anno 1621.

Ex vitâ editâ à Fr. Arsenio ab Ascensione Ord. Augustinian. Discalceat.

B. SOROR,

B. SOROR,

Publici Xenodochii Fundator.

XV. *Augusti.*

NAtus est SOROR, cujus ab indole masculâ nomen ipsum fœmineum masculescit, è Parentibus Petro, & Gratiâ, qui genus obscuritatem cùm suâ, tùm filii virtute illustrarunt. Præcedente partum nocte vidit per somnium mater scalas à terris ad cœlum usque productissimas, easque scandentem filium, multis mortalibus inspectantibus, mirantibusque. Tanquam illi præsagiret animus, magnanimâ filii pietate magnum S. Mariæ à Scala Xenodochium conditum iri: & gradatis scansilem virtutibus cœlestem ascensum ab eodem fore superandum. Cum per ætatem docilis potuit esse, paternas didicit artes, alteram nobilissimam pietatis, vilissimam alteram sutoris veteramentarii: ut virtutis lumina inter obscuri umbras opificii eminerent illustriùs. Adolevit afflictationibus, & jejuniis cum ætate virtus: piisque tormentis extimulata properavit ad fastigium sanctitatis. Angustam domum, quæ Dominum ipsum vix caperet, prætereuntium egenorum hospitum capacem primùm fecit hospitalitas: tum collatæ piis à civibus stipes, externorumque Principum virorum, nec non summorum Pontificum pretiosa donaria in immensum locupletarunt. Inde divino spiritu instinctus ad laxissimam ibidem hospitalem domum ædificandam animum adjecit. Cum autem foderet altiùs fundamenta, terni candido è marmore gradus inventi sunt; quibus ascendebatur ad proximum olim Minervæ (ut fama est) delubrum, ubi nunc maxima Deiparæ assurgit ædes. Is tamen numerus ternio divinum illi fuit omen hospitalis domicilii alacriùs amplificandi. Auspicemur, inquit, favente unius Divinitatis Augustâ TRIADE felicissimum opus. Et quoniam lapidei tres gradus domum hanc suffundant, A Scala eandem nominemus. Immò & vestibus, & cæteris

 utensili-

utensilibus, summâ præscriptâ Cruce, insignem scalæ notam adhibeamus: ut ejus administri domus hospitalis, quæ mysticæ innititur scalæ, laborioso ascensu ad inclyta Crucis præmia grassemur. Quanquam laboriosum prædico cœlestem ascensum, qui ternis duntaxat gradibus superatur. Quin etiam Minervæ loco novum MARIÆ templum statuetur, eademque apposìtè à scalâ nominabitur, quia per ipsam ad Filium, & ad salutem scanditur. Cæterùm salutis è Scala ut SOROREM deturbaret, pium ad hominum hospitium sua malum Dæmonem invitavit invidia. Itaque de viâ lassi, languidique humanâ facie peregrini personatus humanissimæ hospitalitatis SOROREM adit, rogatque, divertere ut apud ipsum liceat. Sed lautiùs, quam invidus vellet, excipitur: quippe Charitas cœnam instruxit, cubile instravit. Manè discessurus versipellis hospes, grates quidem SORORI agit pro humano, lautoque hospitio: sed enim, inquit, mihi bonâ fide hospitanti hospitalis humanitatis tectorio concinnatum dolum malum & mirari satis, & æquo ferre animo non possum. Existimabam ego me ad hominem divertisse antiquæ, atque spectatæ probitatis, non ad eum, qui melius veterator technas, quàm veteramentarius calceos consueret: quique gratuitam hospitalitatem furino fœnore infamaret. Idcircò diverteram ego ad hospitalem tuam domum, ut benè nummato consulerem marsupio meo, cui à cauponæ fraudibus malè timebam: cum tu illud clam exenterasti accipiter pecuniarum. Sed faxo, neuter nostrum inultus aut remanserit, aut abierit. Hæsit ad hæc attonitus verba, & consternatus SOROR, nec suæ satis innocentiæ fidens, universam curiosè scrutatur, rimaturque domum, si fortè deperditam inveniat pecuniam. Tum convocatos suos hospites viatores seriò monet, ut alienos si nummos clepserint, illicò restituant: ne furtivâ sarcinâ prægraves in ima tartara devii pessum eant: nevè à misericordiæ domicilio furacitatis infamia peregrinantem pauperiem absterreat. Atrocis rei novitas omnes perculit; utque animos sceleris nescios patefacerent, vestes, & sarcinulas

nulas ſuas explorandas præbuerunt. Hinc illa increbuit, & invaluit cautio, ut venientes paupertini hoſpites apud hoſpitii Præfectum nominatim numeratimque deponant reculas ſuas, quas bonâ fide recuperent abeuntes. Ita diverſorii, ac divertentium famæ ſatis conſultum videri. At mendaciſſimus accuſator abſolutis cæteris, SOROREM unum facit reum, unum in judicium vocat: & maledicâ facundiâ ſic perorat, ut manifeſtarium eſſe furem non Iudici modo, ſed civibus etiam compluribus perſuadeat. Quid hic agat ab omni deſtitutus patrocinio innocens reus? Ipſo ſe nequiſſimo accuſatore defendit. Cum enim Iudex SOROREM in cuſtodiam, tanquam furti convictum includere cogitaret: ipſe ſuſpenſam è collo lipſanothecam ſibi detrahens, Iudici tradit: & Quæſo te, inquit, bone Iudex, jube ut Accuſator iſte meus, dum ſacræ rei loculamentum contingit, jurejurando firmet, eſſe me ſubreptæ ſibi pecuniæ reum. Tum de me pro arbitratu decernas. His verbis veluti fulminatus improbus delator ex oculis evanidus non ſine magno ſtrepitu abiit: relicto tamen fœdo ſui veſtigio, quo totum ridiculè Iudicem conſpurcavit. Sic inhumanus Accuſator, ne falſum ſcilicet dejerans perjurii, & ſacrilegii piaculum indueret, hominem exuit: & SORORIS gloriæ amplificandæ ſervivit invitus. Cum autem res hoſpitalis progreſſus faceret admirabiles, ſuſcepta expoſitorum infantium educatione, adjunctâ ægrotorum curatione, aliâque multiplici virorum, & puellarum curâ, Noſocomii finibus ampliore pomœrio productis, auctis piorum hominum beneficentiâ opibus; ægre tulit idem infernus hoſtis: utque intolerabilem uni ſibi ægritudinem divideret, luculentis SOROREM vulneribus duriter habitum, ægrum fecit. Quanquam invulneratâ patientiâ invictus, cœlitem mox juvenem habuit ſaucii corporis curatorem. Qui ſævitiâ non potuit, tentavit, & quidem graviùs, vulnificis ſuperare blanditiis: cum peregrinantis liberali formâ puellæ, pudicitiam ejus per inſidias aggreſſus eſt. Sed inſidioſa oculis facies cor Deo munitum non expugnavit. Munitiſſimus verò ut

esset, religiosi fuit author, & caput instituti, cui nomen fecit S. Mariæ à Scala: cujus in altissimis, & cœlestissimis gradibus infernas hostis tartarei appetitiones eluderet. Cæterùm ejus virtus quotidiè divinitùs oculatior occulta, & futura prævidit, & operosior supra naturæ vim, atque ordinem admiranda patravit. Sed jam cœlo tempestivum cœli dignata est Imperatrix, primo Sextilis mensis Sabbatho visenda prædocere, quo ipsa esset assumpta cœleste ad imperium die, illi terras cœlo esse mutandas. Nempe quàm ille sublimis evolaturus esset, cum vocantis dignitas, tum obitus communis lux præmonstrarunt. Igitur cum ante Virginis Deiparæ Assumptionem biduò continenti Amoris, ut opinor, febri æstuasset, cumque deinde solemni ritu in æde principe sacrificaretur, humano symphoniacorum choro Angelicum hymnum inchoante, senos & sexagenos natus annos, sempiternas Deo, Deiparæque laudes cum cœlitibus modulaturam animam expiravit, decimo octavo Kal. Septembris, anno à fundatâ salute octingentesimo nonagesimo octavo. Quatriduum insepultus adoratione per æstivos calores incorruptæ virtutis memoriâ populum turmatim accurrentem allexit. Quin etiam idem sacrum cadaver, cum anno centesimo nonagesimo secundo supra millesimum transferri placuit in ejusdem Nosocomii Basilicam, inscios rei cives innumeros ad se visendum, colendumque pertraxit arcano reclusæ probitatis afflatu. Ipsa quoque æra campana principis Templi, prædictæque Basilicæ voluntarium, nullo pulsante, sonitum reddidere. Crediderim Famam ferreâ illâ voce mortales ad miraculum duplex convocasse, ut membris omnibus integris, vividisque vivere, & suavissimo lignei loculi odore adhuc spirare intuerentur. Iamque ad septingentos, & quinquaginta annos producta vitalis integritas visentibus palam ostendit, vitam esse corporibus immortalem, quæ virtute animatur. Iam verò è cœlo sic suo ille patrocinatur hospitali diversorio, ut in immensum ædibus, opibus, ac privilegiis (quod suis prædixerat sociis) auxerit. Quamobrem illud è proverbiorum numero

numero expungendum censeo, Ne sutor ultrà crepidam: quando S o r o r è sutore veteramentario architectus eximius domicilium in terris miseræ mortalitati amplissimum, sibique inter cœlites beatissimum ædificavit.

Ex Gregorio Lombardellio in vitâ ipsius B. S o r o r i s, *& ex Histor. Senarum.*

F R A N C I S C V S
D E V I N C E N T I B V S,
Ordinis Iesuatorum.

XV. *Augusti.*

DVm F r a n c i s c v m damus, Ioanni Columbino Pirithoum damus, sed qui Theseum suum in Cœlum, non ad Inferos sectaretur. Qui laudis cumulus ne fortè cæteris suis ornamentis non accederet, à ducente ultimos spiritus amico summè contendit, non aliter novissimum ab eo vale excipere sustinens, quàm ut sibi maturum ex hac vita discessum, & suo proximum à Deo impetraturum reciperet. Par nempe fuerat, ut qui primus omnium comes indivisus adhæserat Columbino per terrenorum despectum cœlestia meditanti, eadem quoque consequenti primus accederet. Et verò obstrinxerat sibi Ioannem F r a n c i s c v s unanimi semper pietatis ardore, sive aggredi ardua, sive aspera ferri opus esset. Sed eo maximè nomine quod insolens oculis hominum vitæ genus à Columbino initum, adeóque à non paucis ludibrio, & probris etiam exceptum, vir sanguine, meritisque clarissimus suâ mirum quantum accessione firmaverat, &, compressis magnâ ex parte obloquentium linguis, in venerationem adduxerat. Porrò cæteros inter socios quantum emineret dignitate, atque existimatione F r a n c i s c v s, unicum Vrbani V. Romani Pontificis testimonium sat esto; qui cum recentis instituti socii quamplures adessent, & Ioannes

ipſe ejus alloquendi cauſâ molles aditus captaret, ſolum FRANCISCUM dignatus eſt primo congreſſu. Illud præterea honorificum inprimis, quod, dum ingenti comitatu, maximéque ſolemni pompâ Pontifex equitaret, intuens FRANCISCUM ad ſe accurrentem, dandum hoc ejus honori cenſuit, ut præter & perſonæ, & rei, quæ gerebatur majeſtatem, illicò ſubſiſteret, inque ſui venerationem effuſum humaniſſimè ſalutaret. Celſiùs quippe merebatur extolli modeſtiſſima illa ſubmiſſio, quâ vir patritius, ingentes in opes natus, & ſummis in Republicâ functus honoribus, faſtum excutiens, & nobiles humi ſpiritus affligens, omnium peripſema videri affectabat. Poſtquam enim bonis in Abundii, & Abundantii Parthenona translatis, omni ſe familiaris rei ſubſidio penitus exuit, non ſolum emendicatâ in dies ſtipe victitare in patriâ, civiumque in oculis non erubuit: ſed in ipſo ſupremi magiſtratus domicilio, in quo ſpectabilis olim ejus ſublimitas in jure dicendo, ſummiſque imperiis exercendis fuerat, infimis famulis diutiùs deſervivit in vilioribus quibusque muneribus; nec poſt aſſiduos, gravioresque labores victu ibi oblato refici paſſus, divertebat ad publicum, ut inde cibi aliquid erogaret. Imò tantum aberat, ut fortem virum rerum, quæ ad corpus pertinent, haberet cura ulla ſolicitum, ut inexplebili ſtudio in omnem corporis afflictionem animum intenderit: quo illud ſuæ conditionis admoneret, ac ſervitio verè natum oſtenderet, rationiſque imperio docile, atque aſſuetum efficeret. Ergo promiſſa negligenter barba, intonſo, impexoque capite, & prominentibus enormiter unguibus, inductum vultui ſquallorem, & maciem immanem in ſpeciem aſperans, ſpectrique veriùs, quàm hominis imaginem ferens horrori cæteris, ipſi ſibi ſupplicio eſt. Huic ille cultus aſperitati abſente moderatore ſuarum actionum Columbino paulò effuſiùs, quam res poſcebat indulſit, ſed caſtiganti, modumque horridæ ſuæ Philoſophiæ præſcribenti magiſtro haud quaquam gravatè parebat: quin etiam abſentem illum nonnunquam, & longè diſſitum, audireque & videre dignus eſt

1. ad Corint. 4.

est habitus. Quo miraculo obsequium suum in tempeperando nimis accensi spiritus ardore probari superis facilè intelligebat. Quod si magnum aliquod in animarum salutem opus occurreret, non illud nisi junctis cum FRANCISCO viribus, adeoque prævalidis, & omnia potentibus aggrediebatur. Testis Tifernas ille in veteri scelerum usu adeo obfirmatus, suâque nequitiâ impudenter luxurians, ut quisquis meliorem animum, & saniora consilia ei suggerere conaretur, aquam è pumice postularet, quin pro lachrymis risum referret. Tifernum urbem illustrissimis pietatis ignibus universam succenderat, ardens planè Orator Ioannes: at impius ille flammantes Divinæ lucis radios excludens, suo adhuc horrido rigescebat in gelu. Sed expugnata quantumlibet obdurati pectoris contumacia tandem est, postquam conspirantem cum Ioannis eloquentiâ FRANCISCI charitatem, & fœderatos utriusque virtutis ictus cœpit excipere. Ipsum verò fœdus vide quàm inusitatum, & novum, quo Ioannes quidquid bonorum operum ad propitiandam sibi divinam liberalitatem à sese per omne vitæ suæ tempus profectum esset, id omne revertenti ad frugem illi peccatori ultrò largiebatur. Alter in se, suumque in corpus luendum recipiebat si quod pro anteactis ejusdem sceleribus post reconciliatam pœnitentiæ beneficio divinam gratiam severitati justitiæ satisfaciendum restaret. Charitate utrinque incomparabili, & nihilò minus benefico in gravissimis sibi malis assumendis FRANCISCO, quàm in suis elargiendis bonis se prodigum Columbinus ostenderat. Nec verò mors ipsa post ablatum à rebus humanis Columbinum ab amantissimo socio diutiùs abstinere fatalem ictum sustinuit, quasi amicitiæ tantorum virorum ne quid officeret verita sit. Quare paucis à dulcissimi Parentis obitu diebus, subitâ febri correptus, ad Columbinum suum FRANCISCVS gestiens evolavit. Non tam morientem, quàm se ipsos per morientem commendabant interim Deo unà cum ejusdem Ordinis sociis è Senensi nobilitate quamplures, qui visendæ felicis illius migrationis studio certatim confluxerant.

Anno 1367. 15 *Aug.*

fluxerant. Atque ab his FRANCISCVS cœlo jam proximus rogatus, ut præstantioris alicujus documenti ipsos hæredes faceret, Hoc unum, inquit, vestris altè mentibus defigendum curate, tempus habenti tempus expectandum non esse. Hâc itaque pretiosissimi dicti gemmâ mortalitatis suæ tempus obsignans, beatâ æternitate potitus est.

Ex iis quæ sparsim habentur apud scriptores vitæ B. Ioannis Columbini.

B. ALBERTVS DE BENDINIS,

à Sarteano, Ordinis Minorum.

XV. *Augusti.* Artur. in Martyrol. Francisćan. Chron. minor. par. 3. lib. 3. cap. 35. & liber memor. sodalitatis B. V. de Scala fol. 273.

CVnas cum pheretro confundere visus est, qui ALBERTVM Mediolani natum prodidit: certissima quippe monumenta sunt, quæ natale illius solum Sarteanum Senensis nobile ditionis oppidum esse, dubitare non sinunt. Mediolani quidem supremum decubuit, & ex hac mortalitate solutam illius animam cœlo triumphantem succedere suspexit * Biturgii degens vir ille beatissimus, superûmque spectaculis jamdudum assuetus Ioannes à Capistrano. Hujus in oculis quasi etiamnum hærentem tanti spectaculi pompam unà mecum lector si vacat cognosce. Post prævios faustum modulantes choros ferebantur simulacra Hierosolymæ, Constantinopolis, Mempheos, Cretæ, Græciæ, Armeniæ, Syriæ, Ægypti, ac Numidiæ, quas ille Vrbes nationesque non tam itineribus, quàm victoriis, eloquentiâ, & pietate partis latè lustraverat. Videre erat ex ejusmodi simulacris pendentia sacra quamplura diplomata à Vaticani Hierarchis ad ALBERTVM data, amplissimis illius meritum titulis honestantia, & Apostolicæ authoritatis vires

* *Anno 1450. 15 Aug. Sexdecim ex his diplomatis servantur in tabulario cœnobii Francisc. prope Cetonium.*

vires impertientia, ut vel remotiores Africæ, Asiæque provincias Christo subigeret. Inerat simul aureis expressa characteribus approbatio Florentini Concilii, virum eximiis laudibus honestantis: quòd Eugenii Quarti jussu ad consessum illum accitus in fœderandis Romanæ Ecclesiæ Græcorum animis eximiam operam, industriamque navasset. Accedebant opima de profanis impietatis delubris relata spolia. Acti ante currum devinctis manibus virulenti scriptores non pauci, quos Reformatum nuper Franciscanum Ordinem dentatæ chartæ maledictis proscindentes, vindex hic noster invicto stylo confoderat. Currum ipsum sydereis gemmis rutilantem gemina monstra Hæresis, ac Superstitio ineluctabili fræno constricta trahere cogebantur. Præ quibus ingentem illum Cervum catenæ premebant, cujus larvam malus dæmon indutus Mediolanenses (qui ad usque sexagies mille dicenti ALBERTO interdum aderant) dum è nostri Oratoris ore pendebant, facto in medios impetu perturbare est ausus. Avertissetque fortasse attonitam spectaculi atrocitate concionem in ipso suo furore diffidentem inanibus suis viribus, nisi belluam pro vocis imperio non fugere modò, sed evanescere coëgisset. stipabat latera manus epheborum numero, ac dignitate pernobilis, quos ALBERTVS ad ipsum adolescentiæ florem spinis patientis Dei intrà Religiosa claustra sacrandum mirâ dexteritate permoverat. Sequebatur innumera pileatorum turba, Iacobitarum præsertim, & Armenorum, quos videlicet è perfidiæ servitute in veram Catholicæ Fidei, pietatisque libertatem tanti Doctoris præpotens virtus asseruerat. Sed splendidissimam triumphi majestatem unus ipse spirabat ALBERTVS, Sacræ, Latinæ, ac Græcæ eruditionis laureis redimitus, & textili non quidem è cineribus veste, sed è radiis syrmate latè conspicuus. Obviam interim effusi cœli cives adventantem victorem plausu, & quam lætis favoribus excepere! salutabant egregium Divi Bernardini Senensis Discipulum, dignissimumque populorum magistrum. Verè magnum ex ipsius æterni Regis decreto compella-

bant; qui nimirum ex Euangelici Oraculi præscripto ante fecerit, quæ docebat, ut nunquam manum linguæ rubori esse contingeret, quando nulla Christianæ sapientiæ præcepta ad aures populorum admoveret, quæ moribus, vitâque multò antea non affirmasset. Reddendam verò laudatissimæ viri humilitati vicem una cœlestium omnium vox esse videbatur, ut qui sublimis inter mortales recusato supremo sui ordinis magistratu esse noluerit, eo apud cœlites excelsiùs emineret, nec monitore suæ parvitatis ex vulgari triumphantium more indigebat, qui tam illustri experimento quanti se faceret ostendisset.

Ex Marco Vlyssippon. par. 3. Chronic. Min. lib. 3. cap. 35. 36. & 37. Toßignano, Wadingo, & aliis apud Arturum in Martyrol. Francisc.

BARTHOLOMÆVS PICOLOMINEVS,

Ejusque Filii

BINDVS, ET ALPHONSVS,

Ordinis Iesuatorum.

XV. *Augusti.*

Nobilissimum Picolomineorum genus, quod sanctimoniæ famâ inclytis Ambrosio Olivetanum Ordinem, Dominicanum Ioanne, Franciscanum Mino, Iacobo Augustinianum olim illustraverat, Iesuaticæ quoque disciplinæ BARTHOLOMÆVM cum filiis BINDO, & ALPHONSO laudatissime impertiens, nempe cœlestibus suarum gemmis Lunarum Religiosam Crucem locupletiùs distinxit. Et BARTHOLOMÆO quidem Crucis Christi inter Iesuatorum instituta ferendæ, author inprimis fuit ipse Iesuatici instituti fundator Columbinus, qui non exemplo eum minus,

nus, quàm oratione permovit, ut Lunam suam à terræ vicinia, terrenisque ab umbris quàm longissimè habendum curaret, si immunem à defectibus, & sole suo semper illustrem præstare vellet, non segnem BARTHOLOMÆUS ad salubria monitoris egregii præcepta indolem attulit, imò quo expeditior ad novum cœlestis Philosophiæ capessendum iter esset, geminos, quos ex uxore jampridem extinctâ susceperat raræ indolis filios BINDUM, & ALPHONSUM, hoc est partem sui meliorem generoso pariter Mundi contemptu in ejusdem Ordinis claustra perduxit. Iam verò bis Pater, quos auspicatiùs cœlo genuerat, ad omnem sanctitatem informabat, divitias, quibus abundabat, amplissimas penitus abdicando, intentissimo sacris precibus, & reliquo religiosi hominis officio incumbendo, rudi, vilique in habitu, nudo capite, pedibusque itidem nudatis incedendo, vilissimoque mendicitatis artificio vitæ sibi necessaria comparando; nullum finem celebrandi, venerandique tanta sublimis sanctimoniæ decora attonitâ, & stupefactâ patriâ faciente. Visus proinde est universi Ordinis Moderatori Hieronymo de Asciano unicè idoneus BARTHOLOMÆUS, qui longè plurimos filios cœlo educaret, & ad Religiosam vivendi normam instrueret. Quare Lucensi ipsum cœnobio, reluctante plurimùm ejus modestiâ Præfectum statuit. Non hominum, sed Angelorum Asceterium exinde suspicere potuit Luca, usque adeo concordi virtutum omnium concentu ibi Iesuaticus Ordo BARTHOLOMÆO chorum ducente in auribus, animisque hominum personabat; tanta cum prudentiæ, & excellentis consilii fama, ut cives nihil gravioris in Republica negocii eo non adhibito suscipere consuevissent, & quod rarissimi exempli fuit, ne in Senatum quidem ultro accire hominem Monachum, externumque essent veriti, ejus plerumque sententiæ propria judicia posthabendo. Et sequuta per ea tempora mirifica inter omnes ordines civium concordia, ac cætera etiam omnis generis felicitas, adventitium illud publici consilii pondus egregiè probabat. At ille

Dd 2 opero-

operosiori beatæ æternitatis negotio unicè intentus, impendio studiosiùs, quàm aulæ frequentiam solitarias cubiculi sui angustias amabat: post matutinas, ac vespertinas preces per duas in illo horas cœlestium commentationi quotidiè vacans, splendentem inde ex consortio sermonis Domini vultum discipulis suis non semel referens, quod olim in legislatore suo veterem Israëlitici populi multitudinem miratam accepimus. Sed ardentia in ea luce divini amoris æstu præcordia uberibus, quas effundebat assiduè, lachrymis temperare consueverat. Et quidem asperum iter ad cœlum lachrymatis diutius imbribus emollivit; facilique tandem ascensu senex, meritorum cumulo gravis sydera tenuit, quâ die assumptæ in cœlum Virginis triumphi memoria solemnis est. Nimirum decuit, amictam sole Virginem non sine Lunâ curuli Picolomineâ superûm Capitolium inscendere. Hæc itaque verè Luna, & in defectu conspicua fuit; si tamen deficere potuit in ipso Virginei solis amplexu. Sanè ut clarissimo quodam melioris vitæ sensu BARTHOLOMÆUM obiisse intelligas, sub auroram fortunatæ diei ad precationes cum sociis matutinas ex more surrexit, mox de Augustissimæ Reginæ triumphali gloriâ sermonem habuit, teneros verbis in amantissimam Dominam affectus miscens, sacrâ inde synaxi reverenter exceptâ, brachiis in Crucis formam compositis, quinquies Orationem Dominicam, Angelicamque salutationem recoluit in Christi patientis memoriam, aliis item pro Ecclesiâ universâ, ac pro suo nominatim ordine precibus additis, se tandem humili strato composuit; circumfusisque sodalibus fausta omnia à Deo precatus inter profusas suorum lachrymas lætus ipse, ac ridibundus expiravit. Qui sic moritur, non compellente fati necessitate obire, sed fato imperans ultro abire dicendus est. Elatus est publico funere, lachrymisque universæ civitatis, & omnium bonorum diuturno desiderio honestatus. Sed enim qui totus Deo vixerat, quia cum filiis, non totus interiit, quia in filiis paternæ pietatis hæredibus, superstes fuit. Supervacaneum jam verò esset in BINDO,

atque

atque in ALPHONSO ipsas BARTHOLOMÆI virtutes spectandas iterum dare. BINDVS certè in paternæ sanctitatis imitatione adeo profecit, ut virtus ejus, & sanctimonia ipsis quoque immundis spiritibus terrori esset. Pisis enim suorum cœtui Præpositus, intuens avernale Monstrum sub informi Æthiopis larvâ per dolos, ac vim intentatam abstrahere ex Odæo quendam è Fratribus cœlestia meditantibus, arrepto flagro infestum Genium ita cecîdit, ut furiales fugientis ejulatus sodales universi non sine horrore, atque admiratione perceperint. Alium è sociis instigante gulæ libidine cum furtiva edulia sinu occulere Præses cœlitùs oculatus inspexisset, severioribus illum monitis ubi castigavit, An non vides, subdidit, te lethiferum anguem sinu fovere? Id vero jam risu excipere alter parabat, cum repente facto impetu ex involucro escam occultante colubrum exilire conspexit, ac lividas oculis faces intorquendo, atrocique sibilo tantum auribus, animisque terroris incutere, ut reus penè exanimis è vestigio ceciderit. Adeo serpentis primorum Parentum deceptoris pestifer ille per gulæ illecebras mortalibus insidiandi mos non exolevit. Tum BINDVS fugato angue teterrimum odorem inhalante, jacentem Fratrem benignè erigens, ad temperantiam inposterum ritè servandam, suo quippe nimis doctum periculo facilè persuasit. ALPHONSVS & ipse virtutem ex Patre, verumque laborem probè doctus, licet Pisis laudatissimè ageret, cœlitus tamen inductus, exoravit à BINDO fratre cœnobii Præfecto secessum in solitudinem ad S. MARIÆ, ut appellant, à Sambucâ, per arcanos precationum congressus, ac liquidas animi voluptates Deo unicè vacaturus. Ex itinere, dum è rectâ viâ per sylvarum devia errabundus deflecteret, gemini lupi blandiùs obsequentes ad rectum tramitem reduxere. Nimirum si ex perfidiâ homo est homini lupus, ea simul est fidentis Deo sanctimoniæ vis, ut lupum adigat esse homini hominem. In optata solitudine gurgustium ALPHONSVS sibi construxit, vix sui corporis capax: ubi diutius subsistens assiduâ patientis Christi memoriâ

animum oblectando, nullo alio corpus, quàm herbarum, pomorumque sylvestrium cibo pascebat, nulloque quàm gelidæ aquæ potu. Tribus in eo rigidissimæ vitæ genere exactis annis, Angelico monitu revocatus ad suos, in Castro, quod à Durante dicitur, vitæ reliquum egit. Intento semper ad voluntariam corporis afflictionem animi prævalentis imperio, cujus illustre inter cætera & per singulas hebdomadas repetitum exemplum erat jejunium exiguo panis frustulo, ac diluta hysopo, & absynthio aquæ potione contentum, quo diem Veneris, Christi Domini cruciatibus venerabilem honorare consueverat. Annorum notitiam, quibus ALPHONSVS, ac BINDVS ex hac mortalitate decessere, majorum incuria nobis invidit. Nisi potiùs id ipsum arcanæ superûm Providentiæ sit tribuendum, ut videlicet liqueat, certam mortis diem in illis frustra quæri, qui vel quotidiè cum Apostolo, vel non nisi oculis dumtaxat insipientium unquam mori videntur.

Ex Paulo Morigiâ in Histor. Iesuator. Illustr. lib. 2. cap. 27. 28. & 29.

B. ALBERTVS,

Archipresbyter Collensis.

XVII. *Augusti.*

PVerilis è diluculo indolis futuræ vitæ diem præsagimus, & ALBERTI è moribus adolescentis, virtutem adulti jam viri conjectamus. Natum in oppido agri Senensis Clativensi parentes juxta pii; ac nobiles, ingenuis artibus, divinoque cultui jam tum destinarunt. Parentum destinationem abunde filius implevit. Etenim humanæ, divinæque sapientiæ, in primis verò pietatis studiosus, sacerdotio primùm initiatur. Deinde geminâ verborum, & exemplorum eloquentiâ sic ad populos perorat, ut vitæ innocentiam facilè aliis persuadeat,

deat, quam in dicente venerarentur. Duodetricesimo ætatis anno animi sui curiosus eximius, aliorum cœpit animorum salubrem agere curam. Denique jam robustæ virtutis viro Collensis Archipresbyteratus imponitur. Quaternos, quinosvè annos corpore validus id oneris gessit: quinque verò, & viginti paralysi prostrato, & miserandum in modum ulceroso morbum gravissimum æque, tranquillèque sustinuit, sub utroque pondere citra fabulam Hercules: atque in hoc fortior, & mirabilior, quod jacens diu toleravit. Nisi mavis Antæum Christianum dicere, qui à decubitu sublimior assurgeret. Et ille quidem altissimè assurrexit, cum, depresso in sepulchrum cadavere, levissimus in cœlum animus evolavit. Segregis animi benè ac beatè habitantis argumento est, Corpus ipsum à funere soliditatem, pulchritudinem, ac sanitatem pristinam, citra ullum ulcerum vestigium, recepisse. Quid hic admirer innumeris aliorum incommodis admirabilem fecisse medicinam, qui sui vel extincti corporis Medicus fuerit? Quidni Senensis quoque ab cive suo ALBERTO posteritas præsentissima speret ingruentibus passim calamitatibus remedia? A.

Ex Sylvano Razzio in Vit. BB. Hetrusc.

A. Præsentis auxilii specimen exhibuit Gisiæ Berlingherii Ilcii filiolæ trimæ in altissimum puteum delapsæ. Invocatus quippe à puellæ matre ALBERTUS infantem adeò servavit incolumem, ut, ne vestibus quidem madidis, lætior, ac ridibunda extracta postmodum fuerit. Aliorum quoque oculi, manus, cæterique artus ab immedicabilibus morbis mirâ ALBERTI ope statim expediti ostendunt contra vetus effatum, sanitatem, quam ipse non habuit, dari ab ipso satis superque cæteris posse.

B. BER-

B. BERNARDVS PTOLEMÆVS,

Olivetani Ordinis Fundator.

XX. Augusti.

NVnquam BERNARDVS PTOLEMÆVS, quem primò Ioannem in avi perennandam memoriam appellarunt, juris consultissimus in patrio Senarum Lyceo scholas habuit consultiores, quàm cum ultimò de mortalium vanitate rerum dissertans, statutum sibi dixit, esse, abdicatis opibus, ac deliciis, beatam Christi persequi mendicitatem. Nimirum recuperato divinitùs oculorum usu, perspicacior vidit, numerosiore, ac sanctiore solitudinem, quàm Vrbem audientiâ frequentandam: seque sui primùm, tum aliorum doctorem faciendo quàm dicendo, efficaciùs futurum: quod exempli lux, quàm oris vox, est apud animos facundior. Quin eò perspicacitas excrevit, ut solitarius jam sylvarum civis clausis etiam, aut conniventibus inter contemplationem quasi per quietem oculis conspexerit in Acconensi solitudine, quò cum Ambrosio Picolomineo, & Patritio è Patritiis secesserat, scalas à terra in cœlum argenteas porrigi, earumque dextero insistere fastigio Christum Deum, sinistro Virginem Deiparam cœlesti splendidoque vestium candore conspicuos: tum easdem scalas conscendi albatis ab cœnobitis, quos obvii cœlites puberes manu prehensos gradatim deducebant, Magno Regi filio, magnæque Matri sistendos: à quibus comiter excepti ad penetrales cœli delicias admittebantur. Par erat videlicet, futuræ ut religiosæ familiæ candorem omen planè candidum præmonstraret. Exitum res ipsa comprobavit. Nam coalescenti religiosum in cœtum piæ hominum multitudini sacras Divi Benedicti leges ipsa Deipara per Aretinum Antistitem Guidonem Petramalium præscripsit, hoc tamen discrimine, ut niger habitus

Ambrosius Picolomineus, & Patritius de Patritiis primi Bernardo socii in novi ordinis Institutione.

habitus in iis candicaret. Quid enim magis Virgo, quàm candorem amaret; ut vestis animum admoneret? Ordinem suum discriminavit insignibus, & felici notâ, Monte scilicet tripartito, cujus medio in jugo sanguinea Crux, & hinc indè gemini virentis olivæ ramuli: voluitque suo de nomine cœtum S. Mariæ Montis Oliveti appellari. Iamque ipsi sibi cœnobitæ cœnobium ipsi templum fundatrici Deiparæ ad eum extruebant opportunè locum, ubi præpotens ipse mundi Molitor Deus ex argento scalas adusque testudineum cœli aurum excelsissimas fabricavit. Vt iis è scalis cæteræ structuræ sublimitatem dimetiamur. Religiosæ nimirum demissionis moles nisi cœlo non terminatur. Sed quicquid cœnobitæ interdiu excitabant, inferni noctu lemures demoliebantur: donec BERNARDI precibus devocatus è cœlo Michaël denuo compulit imos in specus rebelles tenebriones; & ab invidâ inposterum demolitione inoffensum pietatis ædificium cœpit emergere. Imponenda erat ædificio coronis, hoc est præponendus Ordini generalis Abbas, & moderator BERNARDVS. Neque hoc ab illius modestiâ potuit impetrari, ut omnibus imperaret, nisi postquam tribus summis moderatoribus paruisset. Sic fundatissimum est in alios imperium, cui substruitur altissima sui demissio. Tunc enimvero universæ, quæ diu latuerant, bono loci superioris in lumine præfulsere virtutes, & miracula, nempe virtutum radii oculos perstrinxere mortalium. Quare unus instar omnium sic erat, ut melior illo successor non expeteretur. Exinde vel ipsis Ægypti Regibus Ptolemæis sanctiori magnitudine invidendus Senensis hic PTOLEMÆVS, dum cœnobitarum principatum obtinuit, Ægyptias solitudines cœnobiis frequentes in Italiâ instauravit. At Senensi cum pestilentiâ latè diuque grassante PTOLEMÆI charitas congressura, suos secum eduxit è solitudine in publicum cœnobitas, & solitarios homines cum infinitâ urbanâ multitudine amico beneficentiæ certamine commisit. Ipse autem antesignanus, ut virtute, sic mirabili fugandi morbi efficacitate præibat. Ab istâ victoriâ A.

decretum in cœlo triumphum cœlestis Regina Deipara denunciat: triumphalem verò diem divus legislator Benedictus indicit. Igitur post brevem bidui pugnacem decubitum triumphator in cœlum evolavit; decimotertio Kal. Septembris: ut fatale putes, eodem geminum die Claravallensem, ac Senensem triumphare BERNARDVM. Annos vixit senos ac septuagenos, perpluribus etiam dignus, nisi suffragante virtute, præripuisset æternitas. Agebatur autem tunc annus à fundatâ salute millesimus trecentesimus quadragesimus octavus, contra publicam luem medicatissimâ BERNARDI charitate saluberrimus. Libet extremo loco speciem corporis nempe imaginem animi calamo pingere. Staturâ fuit procerâ, & in cœlum instar mentis erectâ: compactâ etiam, & firmâ, quæque virtutis firmitudinem adumbraret. Vultu præterea magno, & in virilem gravitatem oblongo, subfuscum pallorem ex afflictationibus præferente. Fronte adversus fortunæ captiones recalvâ, & latâ, ingentibus videlicet negotiis pari, piisque curis rugosâ. Oculis nigrantibus, & Heraclitæis prudentiùs lachrymosis. Naso in judicii notam decenter producto, nec non ore in verborum parsimoniam modicè angusto. Sic in extimis etiam lineamentis intima legebatur sanctimonia.

Ex actibus publicis in Archivo Archiepiscop. Senens. Secundo Lancellotto in Histor. Olivetan. Sylvano Razzio in vit. BB. Hetrusc. Fastis Marianis sub die 22. Augusti.

A. Mirâ suarum precum virtute BERNARDVS lethaliter vulnerato subitam sanitatem, & cæco expeditum luminum usum restituisse, extinctum quoque revocasse fertur ad vitam.

ALEXAN-

ALEXANDER TERTIVS PONT. MAX.

Olim Rolandus Bandinellius S.R.E. Cancellarius Card.

ALexandrum suum Magnum jactare desinat Macedonica Pella, dum TERTIVS ALEXANDER in solio Vaticano ter maximus Senensem patriam, honore Pontificio ad urbium apicem evectam, cœlo propemodum æquat. Nempe bellicam veteris Alexandri magnitudinem longè supereminet pacata recentis maximitas: quia non ita magnum, famam sibi facere cladibus populorum, cruento eandem pugione mansuris inscribere monumentis, ac præliari tuba buccinare. Nimio plus est pacis artibus cæsarea bella profligare hostesque religionis publicos prudenti facilitate obterere. Vt propterea præconio major humano cœlestibus gloria buccinatoribus debeat æternari. Nobilissimâ igitur ex gente Bandinelliâ, patre Ranutio inclyto viro prognatus Rolandus, ob mores, atque literas spectatissimus, magnique nominis, in Pisanâ Ecclesiâ Canonicus Regularis, ad meritam Vaticanæ purpuræ lucem ab Eugenio Tertio promovetur. Inde virtus ejusdem summis honoribus par, ad Pontificatum, Hadriano Quarto suffectum provehit, mutatque felici nominis omine Rolandum in ALEXANDRVM. Nec mora, nec requies. Ecce ab inito Pontificatu statim forti fuit opus ALEXANDRO. Ecce prior in Pontificali habitu expeditus hostis Pseudo-Pontifex Victor Quartus, Romanis, & Imperatoriis Friderici Ænobarbi viribus quinos annos pugnax de te sibi victoriam pollicetur. Tu tamen commilitone Deo, & armis anathematis cœlestibus graviter perculsum, prostratumque Victorem ad miserrimam usque in-

XXVII. Augusti.

Rolandum Eugenius non Cardinalem modò, sed etiam S. R. E. Cancellarium creavit.

Victor IV. Pseudo-Pont. antea dictus Octavianus Patriâ Romanus Cardinalis.

Ee 2 terne-

Guido Cremensis Card. nomen assumens Paschalis III. Pseudo-Pont.

Ioannes Hungarus Abbas Monasterii Strumensis in Pseudo-Pontificem electus, Callistusque Tertius nuncupatus.

ternecionem ſuperaſti. Sed uno avulſo, non deficit alter, ornatu quidem aureus, ſed odio plusquàm Vatiniano ferreus Pſeudo-Pontifex, ab animo appellatione degeneri Paſchalis Tertius. Et hic intra ſimile annorum quinque ſpatium ſuperbæ temeritatis infelici exitu pœnas dedit. Tu quoque pulchri nominis, ac turpis Indolis, Calliſte, Tertium te numerans, falſo annorum octo pontificatu in ALEXANDRVM inſurrexiſti. Sed hoc tandem benè, quod Friderici reſipiſcentis Imperatoris exemplo, & immanis facti conſcientiâ externatus, ad ALEXANDRI pedes accidiſti. Contra ille graviſſimam pontificali beneficio ultus injuriam, Beneventi te Archiepiſcopum, & Prætorem creavit. Ita falſorum pontificum veram violentiam, per annos decem & octo debacchantem, triumphalis ALEXANDRI virtus debellavit. Gravior, ac pertinacior belli tempeſtas Pontificiæ fortitudini, & ſapientiæ oblata eſt à Friderico Imperatore, quæ publicæ ſerenitatem pacis cruentaſſet, niſi Friderico res fuiſſet cum ALEXANDRO. Etenim viribus potentiſſimus, & fraudibus vaferrimus univerſas malas artes, & machinas adhibuit, ut ALEXANDRVM loco moveret, ſibique ſtudentes Pſeudo-Pontifices ſufficeret. Vbi apertâ vi non potuit, doloſâ fœdifragus pace bellare ſtatuit. Itaque miſit Conradum Moguntinum Archiepiſcopum ad Epiſcopos, & Cardinales omnes, qui verbis inſidioſè pacificis odia nequiſſima ſanciret. Efficite, inquit, Patres, proceresque ſanctiſſimi, ut ALEXANDER abdicet ſe Pontificatu. Vt autem Guido Cremenſis cum Pontificiis infulis Paſchalis nomen exuat, mihi cura incumbet. Cæterùm alium Pontificem pro arbitratu deligite: cujus me libero delectui nequaquam immiſcebo, vel intrudam. Hac pacem conditione vobiſcum, & cum Populo Romano perpetuam ſtabilemque firmabo: veſtroſque captivos, ac reliqua ſpolia reponam. Plauſit inſidioſiſſimis Friderici conditionibus Populus Romanus, urgebatque ALEXANDRVM, ut, abdicato Pontificatu, quieti publicæ conſuleret. Sed quorum ſanior ſententia, hoc Patrum Imperatori

ratori responsum : Non licere cuiquam hominum judicium ferre de Pontifice, quem suo Deus judicio reservasset. ALEXANDER interim communicato paucis admodum cum Cardinalibus opportuno, salubrique consilio, ex Vrbe Roma Beneventum dilapsus, Cæsareas evasit, & elusit insidias. Donec Imperator, Longobardis bello præpollentibus ejectus, pestilentiâ grassante debilitatus, fautoribus Pseudo-Pontificibus morte præreptis desolatus, adversantibus populis universis, Principibusque Catholicis invisus, sui partes Pontificis tutante Deo expugnatus, seriam denique pacem poscere, & conciliare cogitur. Igitur ALEXANDER, & Fridericus Venetias conveniunt. Illic nono Kal. Augusti, anni ultra millesimum centesimi septuagesimi septimi, abjurato Imperator coram constitutis Cardinalibus trium Pseudo-Pontificum schismate, anathematis vinculo, conceptis in eâ è pontificiâ formulâ verbis, ritè solvitur, & expiatur: exinde ad Pontificem, qui pro Divi Marci foribus opperiebatur, admissus, positâ imperatoriâ chlamyde, ad pontificios deosculandos pedes humi provolvitur. Enimverò aptissimus conciliandæ paci delectus locus, ubi solidum liquido elemento intermistum, conciliatumque regnatricem terrâ, marique urbem coagmentat. Quare quid mirum, si pax antehac recti tramitis devia, & fallax in amicâ Venetâ Patriâ stabilem pedem fixit? ut propterea gratam vicem reponens Pontifex, Venetorum Ducem muneribus plurimis, & ad cohonestandam ejus dignitatem amplissimis exornarit. Ita bellum Trojano longè prolixiùs, non lugubri excidio, sed optatâ diu pace profligavit. Nec tamen interim turbulentissimis temporibus destitit & Vrbis, & Orbis tranquillitati, quæ pontificalis erant muneris vigilantissimè providere, & complura monumenta elucubrare, quæ alteri quoque sæculo prodessent. Quamobrem ad immortalem rei sapienter administratæ testationem Pontifici ALEXANDRO Alexandriam Vrbem condidit Longobardorum grata mortalitas. Luerit olim Alexandri Magni vilis ambitio pro pluribus terrarum orbibus, quos sibi vincendos vigilans

Gloriosi hujus facti species cernitur in eâ Curiæ Senensis aulâ, quam à Papâ dicunt, coloribus expressa à Spinello Spinellio Aretino, anno salutis circiter 1330.

A.

lans somniabat, urbem in Ægypto de suo nomine fundare, cui calamitosam, fœdamque famam fecerint effœminatæ sive Alexandrinæ deliciæ. Multò laudabiliùs est, urbem aliorum studio ædificari à bellis natam, & bellicosam, ipsique Augusto inexpugnabilem, non solum nomine, sed etiam obsequio alteri ALEXANDRO tributariam. Et miremur, si Tusculum in Latio, si Bertinorum in Æmilia felicissimo ALEXANDRI sese imperio, ditionique voluntario servitio mancipârunt? Vnum deerat, ut Pontifex, ore, manu, consilio ad sospitandas terras factus, cœlum quoque additis Divis bearet. Et hoc non semel præstitit, cum Eduardum Anglorum, Canutum Iuniorem Danorum Reges, Helenam Visigotham, Cantuariensem quoque Antistitem Thomam, arcanam innocentiam dato fortiter sanguine colorantem, ac denique Claravallensem Abbatem Bernardum post obitos pro Christo labores obitu sanctissimo quiescentem, cœlestium concilio, cœtuique adscripsit. Qui cœlum aliis aperuit, quidni panderet sibi? Ergo sexto Kal. Septembris postquam annos ferè duos & viginti persanctè regnasset, dum novæ in Terram sanctam expeditionis studiis Christianos Principes acriter excitat, anno supra millesimum centesimo octogesimo primo, integerrimâ morte mortalis esse desiit. Marcus quidam vir pius, ac religiosus in Hispanico Cœnobio sancti Isidori Legionensis Canonicus Regularis ad immortales eum cœlites transmigrare sic vidit. Nam noctu cubanti Senex authoritate, vultuque suspiciendus se illi per quietem videndum offert, & ad spectaculum vocat, quo divinius nunquam ipse spectasset. Protinus ille surgit, ac sequitur ignotum Ducem. Ecce autem totum illi atrium cœnobii objicitur insolitâ luce conspicuum, & advenis cœlestibus frequentissimum, qui divino concentu terras excantabant in cœlum. In regio Deipara Sacello Apostolorum Choro coronata præsidebat. Tum quærenti cœlitum cuidam cur Petrus, & Paulus, Gregorius Magnus, & Isidorus in eo cœtu desiderarentur, responsum ab alio est, concessisse Romam, Pontifici

Lucas Tudensis Hist. lib. 3. c. 46.

ALE-

ALEXANDRO morienti affuturos, ejusque illuc Animam à corpore abſolutam deducturos. Inter hæc redeunt quatuor victores cœlites cum ingentis, æquantisque cœlum Animæ ſpoliis opimis. Cœleſtem triumphum ſequebatur infernorum caterva ſcurrarum incondito ſtrepitu ALEXANDRUM ad expiatorias flammas depoſcentium ob aliqua leviora delicta. Quare communi cœlitum ſuffragio divinam ad Imperatricem orator pro ALEXANDRO deligitur Iſidorus: cui cruciabilis ignis deprecatori propter ALEXANDRI egregia in illud cœnobium, atque adeo in univerſam Eccleſiam promerita, ſic Virginum Maxima reſpondit: Impium fuerit Divis æqua poſtulantibus aliquid denegare. Statimque ſonora de cœlo vox allapſa; Ex voluntate Matris, cœlitumque meorum ALEXANDER cœlo protinus aſſeratur. Conſecuta repente canora lætitia Deo grates agentium Divorum, & ignominioſa turpiſſimorum accuſatorum fuga. Poſt hæc viſum evanuit. Prædictus autem Marcus Cœnobii præſuli, cæteriſque Canonicis in cœnobiticam exedram convocatis rem totam ordine aperuit. Illi deinde certis ex nuntiis eodem die atque horâ, quâ Marco viſum objectum eſt ALEXANDRUM deceſſiſſe compererunt. Sic Tertius ALEXANDER cum terris admirabiliter, ac diutius imperaſſet, Magno Major Alexandro, & hoc etiam nomine Maximus, quod ille non valuit, cœlo quoque potitus eſt.

Ex Baronio in Annal. Eccleſiaſt. ab an. 1160. uſque ad 1181. Platinâ, Panuinio, Ciacconio, aliiſque in vitis Summorum Pontificum.

A. Neque minus validè Henrici Secundi Britanniæ Regis contumaciam ALEXANDER infregit. Primò enim illum adegit, ut S. Thomam Cantuarienſem, quem ex Angliâ ejectum Romæ ipſe honeſtiſſime exceperat, ſedi ſuæ reſtitueret. Mox ut anſam nefariis ſatellitibus datam conſtantiſſimum Præſulem occidendi, obſequenti demiſſione, ac ſalutaribus pœnis lueret, unaque impias leges Eccleſiaſticæ liber-

libertati infestas abrogaret, superbum licet, ac pervicacem præpotenter impulit. Quæ tamen ALEXANDRI majestas severitate armata tantos Principes strenuè subegerat, eadem sanctissimæ benignitatis illicò à remotioribus usque terrarum finibus regales animos corripuit ad eximiè gestas ab ipso Divinitatis vices insolitâ veneratione prosequendas. Novas Polonis præstitutas leges Rex Casimirus non antè evulgatas voluit, quam ALEXANDRI judicio illas submitteret, & suo easdem calculo, sapientissimus Pontifex comprobaret: quemadmodum re ipsâ præstitit diplomate dato è Tusculano quinto Kal. Aprilis MCLXXX. Alphonsus Primus Lusitaniæ Rex, quòd regium illi titulum (Dux antea dicebatur) ob res adversus Arabes præclarè gestas Pontifex hic noster indulserit, munificentissimo Parenti gratus Regnum suum obtulit Romanæ Ecclesiæ, ut ejus patrocinio firmiùs consisteret: atque adeo in singulos annos duas auri marchas Apostolicæ Sedi loco census persolvendas constituit. Magnus Abyssinorum Imperator, quem Pretejannem vulgus appellat, tam sancti Pontificis famâ permotus, certis Orthodoxæ fidei oraculis ab illo instrui per Nuntium exoravit. Infensos ipsos Christiano nomini Principes sapientissima ALEXANDRI pietas veræ potuit Religioni conciliare. Quamobrem & Iconii Soldanum per literas monitum ad tergendas sacri laticis undis labes impietatis permovit, & Mahometani cujusdam Regis nomine nobilissimum Legatum, dum Genuâ in Galliam Pontifex pergeret, ad pedes ultrò sibi accidentem, & Christiano ritu se venerantem accepit. Nusquam tamen in Pontificum ullo augustiùs vicariam Divinitatem à summis Principibus coli demiratus est Orbis, quàm in ipsâ Galliâ, dum apud Tociacum Ludovicus Francorum, atque Henricus Anglorum Reges potentissimi, gravibus licet armorum dissidiis inter se ferverent, unanimi tamen obsequio ALEXANDRO occurrentes, pedites illi equitanti stratorum munus subiere; & dextrâ, lævâque Pontificii equi tenentes fræna, illum usque ad paratum magnificentissimè tabernaculum deduxerunt: *Spectaculum*, ut cum Baronio loquar, *tale Deo, Angelis, & hominibus exhibentes nunquam visum in Orbe. Nam & si aliàs sæpe à singulis seorsum, seu Regibus, seu Imperatoribus ejusmodi viderimus exhibitum Romanis Pontificibus ministerium, ut tamen ad hoc duo una simul convenerint adeo Magni Principes, hactenus inauditum à sæculo.* Adeo per illos, quos Romæ Sena Hierarchas dedit, inacces-

sum

ſum cæteris gloriæ, honoriſque apicem Pontificia Majeſtas eſt aſſecuta.

Noviſſimus tamen hac noſtra tempeſtate ſummo huic viro gloriæ cumulus acceſſit ex mirifico ſucceſſoris, & civis ejus ALEXANDRI Septimi ſtudio, in ejus honorandâ memoriâ, & virtutibus imitandis; cui ſine dubio ſapientiſſimus Princeps obſequutus in eo videtur eſſe, quod agnominem illi appellationem adepto Pontificatu adſcivit, & quod in ejus poſteritate honeſtandâ non omnem apud Mediceam Familiam ſtare paſſus eſt laudem. Namque Volumnium Bandinellum eâ profectum ſtirpe quem Ferdinandus Secundus Magnus Hetruriæ Dux regendæ Coſmi unici filii adoleſcentiæ, & ſummâ fortunâ dignis artibus imbuendæ præfecerat, ſummoque in honore ac pretio habebat, ad Vrbem evocavit; & ſtatim principem illi inter Pontificios cubicularios locum, & ſupremam libellorum ſupplicum adminiſtrationem: inde Sacerdotium in Baſilicæ Vaticanæ collegio, mox Apoſtolici Palatii Præfecturam, denique Conſtantinopolitanum Patriarchatum attribuit; non ſine uberrimo graviſſimi ſui judicii fructu, propter ſummam viri doctrinam, integritatem, atque prudentiam, facileque, & liberale, & ad hominum voluntates demerendas mirè factum ingenium. Quò verò teſtem hujus præclari ſui conſilii venturam omnem poſteritatem haberet, in Lateranenſi Baſilica, ubi is Pontifex ſepultus fuiſſe traditur, tumulum regalis magnificentiæ ex marmore varii generis excitandum curavit, cujus epigraphem, quòd docta imprimis & elegans eſt, hîc adſcribere non alienum putavimus. Eſt autem hujuſmodi:

Raſponus de Baſilica Lateranenſi lib. 4. cap. 18.

ALEXANDRO. III. PONT. MAX.
NOBILI. BANDINELLA. GENTE. SENIS. NATO
QVI. DIFFICILLIMIS. TEMPORIBVS
EXIMIA PIETATE
SVMMA. PRVDENTIA. AC. DOCTRINA
ECCLESIÆ. PRÆFVIT. ANNOS XXII.
INVICTA. FORTITVDINE, ATQVE. CONSTANTIA
APOSTOLICÆ. SEDIS. IVRA
AVCTORITATEM, DIGNITATEMQVE RETINVIT.
ET. POST. IMMENSOS. LABORES
AC. SOLLICITVDINES, PACE. PARTA
OECVMENICVM. LATERANENSE. CONCILIVM
CELEBRAVIT
SANCTISSIMAS. DE. ELIGENDO. SVMMO. PONTIFICE'
DEQVE. VI, ET. AMBITV. COERCENDO
LEGES. TVLIT.
THOMAM. CANTVARIENSEM. ANTISTITEM
BERNARDVM. CLAREVALLIS. ABBATEM
QVOS. VIVENTES. CARISSIMOS. HABVIT,
ODOARDVM. ANGLIÆ, CANVTVM. DANIÆ. REGES
SANCTORVM. NVMERO. ADSCRIPSIT.
PLVRIMISQVE. ALIIS. MAXIMIS. REBVS. GESTIS
VITÆ. DEMVM. ET GLORIÆ. CVRSVM. CONFECIT
ANNO. SALVTIS. M CLXXXI. KAL. SEPT.

ALEXANDER. VII. PONT. MAX.
NOMINIS, ET. MVNERIS, IN. ECCLESIA. SVCCESSOR,
PONTIFICI. TANTO, CIVI. SVO
PIOS. CINERES. VENERATVS. POSVIT.

SEPTEM-

SEPTEMBER.

BONAGVIDA LVCARVS.

IV. Septembris.

Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Ps. 86.

QVòd Civitas Virginis honestissimo, & proximæ secundum gloriosam Dei civitatem dignitatis vocabulo, Senensis populus appellamur, tuum beneficium, tuæque pietatis meritum eximium est, inclyte BONAGVIDA. Tu MARIÆ urbem, urbi MARIAM per illustria victoriarum decora fœderasti; & in Reginæ obsequium sacramento cives obstringens, ad solvendos supremæ cladis metu illorum animos, Patronæ potentissimæ dexteram è superis evocasti. Agebatur annus post editam cum nato Deo salutem MCCLX; cum Senensi Republica fidem Cæsari datam studiosè persequente, cæteri Hetruriæ populi (si paucos excipias) in odium Ghibellini nominis exciti, conjunctis viribus, ductisque ex Insubriâ, Liguriâque auxiliaribus copiis, more torrentium in unum rapidissimè coëuntium, irruerunt in subjectos Senarum collibus campos. Ad quadraginta peditum, equitum ad octo ferè millium multitudo convenerat, & mœnibus Vrbis improviso impetu circumfusa trepidis, & mali atrocitate attonitis civibus per caduceatorem denunciat, nisi extrema omnia pati velint, se, suaque cuncta sine morâ dedant; nec solum portâ, sed etiam dejectâ murorum non exiguâ parte meliores intra oppidum accipiant. In re quamlibet trepidâ, ac penè desperata soliti sui spiritus, animorumque haud quaquam obliti Patres intrepidè, ferociterque respondent, non adeo vile Senensi populo versatæ diu apud se libertatis aut decus, aut commodum esse, ut ad primum inanium minarum sonitum projicienda tam turpiter videatur. Nonnisi extremâ totius civitatis clade adduci posse cives ut serviant, ad quam avertendam quantum in sua juventute roboris, atque nervorum supersit, brevi

ab exigua manu nullam pugnandi moram factura scituros. Dimissis Nunciis, Senatus in sancti Christophori coactus Romæ parentis exemplis, dum de summa rerum ageretur, insistens, uni civium supremum rerum omnium imperium permittendum decernit, qui Syndici usitato in Republica vocabulo, veteris Dictatoris jus, atque authoritatem obtineret. Non erat adeò inops fortium, & militari laude præstantium virorum civitas, ut multi tanto muneri abundè suffecturi non affatim occurrerent, inter quos eminebant Provenzanus Salvanus, & Aldobrandinus Comes Aldobrandescus, quibus & sua, & majorum in Rempublicam merita apud præsumptam vulgo de eorum virtute opinionem eximiè suffragabantur. Sed modestissima BONAGVIDÆ pietas cum summâ prudentiæ, & præstantis consilii laude conjuncta, cum secundissimo ea tempestate per omnem civitatem sermone celebraretur, facilè omnibus prælata est, divinâ quâdam vi animos hominum eam in mentem cœlitùs impellente. Ille accepto tanto honore, postquam rem omnem publicam suæ potestati, suoque arbitrio permissam videt, & neque manibus, neque consilio suo tantas esse vires intelligit; ut ad imminentis tanti periculi molem avertendam sufficeret. Ad unum illud, quod humana destitutos ope mortales desertos esse non patitur, omni conversâ fiduciâ, & ex omni cœlitum copiâ Deiparæ Virginis obsequio peculiari quâdam animi inductione deditus mentem ad eam omnem, fiduciamque convertens, Quam, inquit, urbem mihi committitis Patres, ut sit maximè nostra, alteri jamjam donare constituo. Sit inposterum Sena MARIÆ Civitas, cui si ex animo serviemus, planè regnabimus. His dictis, non tam vocum, quam lachrymarum, è commotis lætâ pietate cordibus erumpentium, plausu firmatis, cæteris præter intimam tunicam vestibus nudatus, fune cervicibus injecto ad templum maximum inter preces, ac suspiria iter instituit novus jamverò pœnitentiæ Dictator; populo certatim universo nudis pedibus optimum ducem sectante, & imploratum MARIÆ nomen teneri-

tenerrimis affectibus ingeminante. Vbi verò ad templum accessit BONAGVIDA, projectus ad fores ejus in genua, Flectere, inquit, misericordiæ Mater, & peramabiles oculos in nos Virginum benignissima converte: toto comitatu effusis vocibus pium illud precationis carmen inter suspiria, & lachrymas iterante. Nec antea Dictator humo surrexit, quàm accedens Thomas è Prædicatorum Ordine Senarum Episcopus manu prehensum erigeret, & ad Marianam aram perducit. Ibi dum ille iterum prostratus in lachrymabiles preces effunditur, Præsul è suggestu fervidâ oratione persuasit, ut intestina odia penitus ponerentur; ubi per tempus liceret, animos sacrâ noxarum confessione expiatos Divino Epulo communirent, & veri cultus contestatione publicis supplicationibus interessent. Nunquam avidiùs in amicorum amplexus itum est, quàm ad libanda inimicorum oscula tunc Senenses effusi sunt, odium omne in scelera, dignâ planè vice vertentes. Indicto demum silentio BONAGVIDA portarum claves dexterâ offerens, amantissimi obsequii formulâ publicis tabulis mandatâ urbem summæ Virginis principatui devovit, varia in Patronæ cultum præstanda spondens, si illa donum gratiùs excipiens, cives jam suos imminenti exitio subduceret. Enimverò clementer annuere visa est salutis Parens. Dum enim solemni sacro sacerdos thure oblatam Hostiam inodorabat, candida nubes templum, & urbem universam, intra mœnia se continens, protexit: super quâ delapsam in odorem Senensis pietatis Virginem intueri se ostendens BONAGVIDA, mirum quantum fiduciæ omnium mentibus, viriumque suffecit. Post cœlestis Imperatricis tam conspicuis argumentis exoratum præsidium, confugere præterea visum est ad nobilissimum equitem Divum Georgium, obligatâ solenni jurejurando fide, si victoria voti reos faceret, certa suo conservatori soteria persolvendi. Propitiatis hac maximè ratione cœlestibus, plenum optimæ spei ad humana præsidia convertit animum, ita enim feliciter omnia sibi eventura intelligebat, si neque rei benè gerendæ fiduciam sua in

opera, suisque in consiliis poneret, & opem divinam non per desidiam, torpenti, cessantique, sed properanti, & vigilanti, manuque & consilio ad omnia attento, & experrecto affuturam censeret. Primum omnium demerendos sibi Germanorum equitum animos duxit, quos à Manfredo Rege Siciliæ ductu fortissimi viri Iordanis de Anglante auxilio submissos acceperant, ad octingentos numero veteres stipendiorum, eoque totius aciei robur, & munimentum futuros. Quare post eorum fidem, virtutemque amplissimis verbis commendatam, duplicato ipsam ante pugnam stipendio cunctos milites donavit. Verùm jam propè exhausto præteritis expeditionibus ærario, inter anxia de exigendâ pecuniâ Patrum consilia, generosa in Patriam pietas Salimbenii de Salimbeniis octodecim aureorum millia (quæ summa necessaria ducebatur) ultrò obtulit, & è gentilitio palatio ad curiam plaustro purpurâ intecto, frondibusque oleaginis coronato deportari jussit. Ingentem sine dubio in privato cive pecuniæ modum, præsertim si angustias illorum temporum cogites, quibus ignotæ adhuc alterius terrarum Orbis divitiæ nondum sese in Europam effuderant. Quandoquidem libertatem maximum inter mortales bonum, nec ullo pretio rectè commutandum, Lucenses quidem octonis, Florentini senis non amplius aureorum millibus à Rodulpho Cæsare non multò postea pacti sunt. Verùm non ingratam, neque immemorem accepti tanti beneficii sese civitas ostendit. Memoratu verò dignum omnino est genus præmii, quo tantam summi viri virtutem affecit, & facilis ex eo conjectura sit de hominum ejus sæculi ingenio, utque majore quàm præsens ætas laudis, & gloriæ cupiditate ducerentur. Eorum est apud Senas rara, & ad speciem eleganti admodum structura, series enim ædium, & magnitudine, & dignitate præstantium in obliquum sinuata areæ satis amplæ spatium theatrali figura complectitur, nec fas est Dominis Insularum de suis ædibus quicquam statuere, quod institutam semel ædificiorum speciem posset corrumpere. Hujus legis venia Salimbenio est data, utque

domus

domus ejus interrumpere seriem, quam diximus, jure suo posset, porrecto in anteriorem partem ædificio ob præstantem in hoc bello erga Rempublicam munificentiam, publico civitatis decreto indultum est, non sine mirabili ad propagandam, & memoriæ penitus consignandam viri gloriam artificio; ita enim factum est, ut ipsa sui enormitate, atque excursu notabilis ædificii structura consurgeret, ac in hominum oculos incurrens, incuriosos illos antiqui Domini, & rerum ab eo gestarum esse non sinat. Cæterum BONAGVIDA conciliatis hoc opportuno munere militum exterorum animis, civibusque & sua sponte, ex Ducis cohortatione, & præsumpta ex cœlestis auxilii fiducia, ad navandam patriæ suæ strenuam operam vehementer incensis, eruptionis ultrò in hostes faciendæ splendidum, & plenum dignitatis consilium cœpit, quanquam imparem multò suorum numerum cernebat futurum; vix enim præter germanos, quos diximus, & ducentos item urbanæ juventutis, totidemque ex cæterâ ditione collectos equites, viginti millium summam universæ copiæ armatorum explebant, consilio nimirum, & ratione inconditam, & nimiâ sui fiduciâ negligentem adversariorum multitudinem æquaturus. Recentis sacramenti vexillum novæ Patronæ imagine conspiciendum, ac religiosæ tibicinum, sacerdotumque turbæ concreditum, validoque armatorum præsidio stipatum ad crastini prælii signum pridie Sabbathi sacratæ Virgini Deiparæ lucis, proposuit, ad quod omnes armati pro se quisque ingenti alacritate convenere, porrectisque in latitudinem ordinibus conspicuæ, majorem quàm pro numero sui speciem hosti præbuere, jam minus, minusque superbienti, mirantique unde tanta paratæ ad dimicandum juventutis copia, perculsis improviso suo adventu civibus, & quibus ne ad tentandam quidem in speciem defensionem satis animi futurum vanissimâ persuasione præceperant. Sed notabilis ante omnia Ducis adversariorum trepidatio fuit, ejusque causæ ad exemplum vanitatis futura rimantium memoratu inprimis dignæ traduntur.

Fama

Fama enim est, antequam domo discederet, responsum illi à talia promittentibus fuisse, morte demum inter cortinas obeundâ periturum, ex quo lenem, & serum, & fati sui exitum interpretatus per omnem eam expeditionem incredibili securitate agebat, donec audivit illi, quem obtinebat, campo cortinarum vocabulum esse, quem ad nuntium non voce, non vultu, non animo constitit, devotâque diris omnibus insidiosâ, & subdolâ artis fallacissimæ levitate, cum haud dubia imminentis exitii opinione in certamen descendit, id quod etiam ex ordine, alacritate, & cætero hostilium copiarum habitu facilè conjiciebat. Certamen ab Germanis equitibus cœptum est incredibili animorum contentione, nec minore fiducia, cujus ostentandæ gratia saltantium in modum ludicri, ac tripudiantium ritu in aciem processere. Debuerat Henricus Stilimbergius omnium princeps (quod ejus familiæ honori quandocumque præliandum esset, Cæsar concesserat) in hostem invehi: sed flagrantissimi pectoris adolescenti Gualterio Sororis suæ filio id muneris infimis precibus exposcenti, in irritamentum virtutis tandem concessit. Et sanè strenua Gualterii indoles se muneri parem probavit. Nam occurrentem primò sibi congressu Nicolaum Garzonium civem Lucensem, infestoque telo in sui perniciem intentum, directâ in pectus lanceâ equo præcipitem, exanimumque dejecit. Signum hoc victoriæ non pugnæ initium dixisses, adeò adolescentis ferocia robustiores exacuit ad majora patranda. Summis utrinque viribus decertatum, usquedum à meridiè inclinante sole, ad Senenses quoque cœpit inclinare victoria. Supremâ mox consternatione exercitum hostium universum infregit obtruncatâ cum dexterâ strenuo signifero Iacobo de Pazzis cadens vexillum, & summus ipse Imperator jugulatus à Comite Arasio uno ex Germanorum præfectis. Adeo ut ipsi decuriones, ac tribuni detectis capitibus, & inermibus dexteris victoris misericordiæ suam, suorumque salutem commendarent, ut hostilium corporum captivitate contenti, vitæ, & sanguini miserorum, ac suppli-

cum

cum parcerent, namque vulgus militum quasi cœlitùs immiſſo terrore conſternatum, ac de una ſalute ſollicitum, ne ab imbelli quidem, & inermi populi turba cædi, & contumeliis affici recuſabat, adeoque omnem militaris ferociæ memoriam abjecerat, ut una fœmina ſex & triginta valentes, robuſtosque juvenes præ ſe captos agere conſpecta ſit, vinculis ab ornatu capitis, veſtimentisque muliebribus detractis, aliisque id genus fortuitò oblatis fœdiſſimè colligatos, ingenti ſanè humanæ inſolentiæ, & vanitatis ludibrio. Decem circiter interfectorum, viginti captivorum millia recenſita ſunt, reliquis per devia dilapſis. In victore autem exercitu ſexcenti dumtaxat deſiderati. Paucos è Senenſibus equitibus cecidiſſe ſatis inde conjicitur, quod non aliis quàm Ioanni Vgurgerio, & Andreæ Becarino ſepulchrum ex Senatusconſulto decretum eſt in æde principe, inuſitato ante honore; primum enim illati intra eam ædem funeris exemplum illud fuiſſe memoriæ proditum eſt. Sequuta cædem & fugam hoſtilium direptio caſtrorum omnis generis commeatuum, omnique præda affluentium, relataque ſunt ad ſexaginta ſigna militaria, quorum reliquiæ poſt tanta temporum ſpatia in magni Xenodochii ſacrario etiamnum ſuperſtites priſcæ virtutis decora poſterorum ab animis excidere non ſinunt. Ad tantæ felicitatis nuncium reliquus in urbe populus geſtiens fronde, ac floribus vias redeuntibus è prælio ſternere, pro ſuæ quiſque domus foribus cibaria parare reficiendis militum viribus, ac in venientium amplexus, & promiſcuas lætitiæ lachrymas ruere. Sed illi memores, cujus auſpiciis, viribusque viciſſent, priusquam recreandis artubus, aut amicorum gratulationibus indulgerent, rectà ad templum maximum proceſſere. Nihil enim antiquius inexpectata victoria potitis fuit, quàm ut debitam tanti muneris authori gratiam referrent, id quod admirabili pietatis, & effuſiſſimi erga Maximam Virginem ſtudii ſignificatione, non à militum tantùm, ſed ab univerſâ omnium ordinum civitatis frequentiâ peractum eſt. Triduo celebrandis eo nomine ſacrificiis, & ſupplicationi-

bus insumpto. Quin auctore Bonagvida senatusconsulto, amplissimis præscripto verbis, cautum est, ut nummis aureis, argenteisque inposterum cudendis ad titulum Sena Vetus, adjici præterea deberet Civitas Virginis: quod factum quæsitam semel in Senas ditionem propriam Deiparæ Virginis, ac juris indubii faceret, æternumque esset, oculisque ac manibus civium nunquam non obvium, avitæ pietatis, & fortitudinis monumentum. Decretum præterea, ut quoties à Curiâ æs Campanum ad consultandum, aliavè publica ad munia cives evocaret in dies, prius salutationem Angelicam ter interrupto sonitu recolendam indiceret. Quòd si fortè omitteretur, quæcunque tunc publici, privatique negotii geri contingeret, vitio gesta, irritaque & nulla censeri deberent. Adjectum singulis etiam civibus onus, ut ubi primùm ad plenam decem & octo ánnorum pubertatem pervenissent, quotannis cum cereis unius libræ facibus offerendis in pervigilio festi Assumptæ in cœlum Deiparæ ad principem civitatis Ecclesiam-frequentes adessent; qui secus faxit, certæ mulctæ animadversioni obnoxius fieret: cujus moris in præsentem usque diem religiosè servati, pulcherrimum omnium exterorum oculis spectaculum est. Per triduum sacra, & solennes supplicationes agendis Reginæ maximæ gratiis indictæ. Constitutum denique, ut Divo Georgio ædes magnificentiùs erigeretur, quod non multo post basilicè præstitum: & in memoriam octo ac quadraginta turmarum, quibus victor exercitus constabat, ære campano erecta est turris totidem fenestris insignis. Ibi non multis ab hinc lustris locari placuit tintinnabulum inter hostilia spolia repertum, quod ad bellica cienda consilia adhibitum Guelfi Martinellam dixere. Celsi id Cittadini viri strenui, & antiquitatis apprimè studiosi consilium fuit, dum ad civitatis dignitatem, splendoremque magnoperè pertinere arbitraretur, ut majorum suorum decora, & victorias ipsa quodammodo devictarum gentium ora loqui perpetuo viderentur. Hunc habuit opportuna Bonagvidæ Lvcari pietas

in

in conservandâ patriâ successum, mirificum sine dubio ad coarguendam eorum stultitiam, qui unis viribus, & lacertis, humanâque prudentiâ ad rem benè gerendam militarem utendum putant, nec intelligunt fortunam, cujus potestati prudentissimus quisque plurimum tribuit, nihil aliud esse quam divinam providentiam, occulto latentium causarum veluti machinamento res humanas gubernantem, eique propterea ante omnia supplicandum, ejusque à nutu omnem humanorum consiliorum exitum expectandum.

Ex Ioanne de Bisdominis in Chronic. Senens. ad annum 1260. Tomasio lib. 5. Histor. Senens. Malavoltâ lib. 1. Histor. Senens. & ex aliorum antiquis manuscriptis, Paulo Iovio in Elogiis virorum bellica virtute illustrium lib. 1. el. Farinatæ Vberti.

SPINELLVS BONINSIGNIVS,

Ordinis Iesuatorum Generalis.

O Solitudinem cœlestibus deliciis frequentem, & affluentem, quæ dies interdum vicenos, nonnunquam etiam tricenos, & quadragenos SPINELLVM BONINSIGNIVM è religiosâ Ioannis Columbini familiâ semisse panis in sole adusti, & frigidâ quotidie contentum saginasti! Nempe homini spinei nominis loci aspreta congruebant, virtutisque rosam à multitudinis incuriâ tutabantur. Accedebant aliæ floris ejusdem tutelæ, devocata videlicet è cœlo assiduis precibus aura divinitus propitia, piarum fœcunditas roscida lachrymarum, collecta, & corrivata sacris è voluminibus multimoda suavitas, cibi abstinentiâ subtractus corporis fœculentus humor, crebro flagellorum usu excitatus tolerantiæ odor, humi capta nocturna quies, quod humo

IV. *Septembris.*

flores gaudent & proficiunt. Quadragenarium ſolenne jejunium privatâ ſic ipſe pietate aliquando aſperavit. In ſolitarium abiit locum, octo milliaribus à cœnobio diſtantem, cui nomen eſt à Servatore. Illic præruptâ in rupe conſedit, quæ Tyrrheno imminet mari, ubi laborioſo, pretioſoque piſcatu coralium evellitur. Arctam eo attulit annonam, ſenos duntaxat panes, quadragenarii jejunii Dominicis diebus numero æquales. Itaque ſimplex panis epulum Dominico die dabat. Profeſtos, & eſuriales reliquos dies herbarum crudæ radices parabili obſonio ſuſtinebant. Cæteræ tenor vitæ auſtero jejunio non abſimilis. Piâ læſus auſteritate impius inferorum præſtigiator doloſam de more larvam induit, annoſi, graviſque anachoretæ, atque his fermè verbis aggreditur: SPINELLVM Dei ſervum ego proximæ ſolitudinis accola, ſenior conſervus ſalvere primùm, ac plurimùm jubeo: deinde idem quid Numen exigat, habeo tibi juſſus edicere. Heſternâ nocte cum cœleſtibus (ut meus eſt mos) advigilarem curis, divinâ te in luce vidi huc appuliſſe, mortiferamque vitæ rationem mordicus profiteri. Quare audi Numinis imperium, meâ ſic voce tibi conſulentis. Quas in hac impeditiſſimâ ſolitudine nimias aſperrimæ vitæ ſpinas, SPINELLE, invexiſti, & inſeviſti, Deus nequaquam probat. Diſcede iſtinc: & cum ſeniore ſolitariæ diſciplinæ magiſtro, ac duce, divinitus ad te miſſo, Deum ſequere. Hæſit ad hæc SPINELLVS: & in re dubiâ divinum ex more oraculum ſupplex conſuluit. Non tulit armatas in ſe preces, virtutis habitu perſonatus, hoſtis: poſitâque humanâ formâ ſe ipſo deformiter horribilis, & larvatus exclamare ſic cœpit: Viciſti, SPINELLE, viciſti, nimis aculeata mihi ſpina, quippe qui me quanvis incorporalem fodicas, & ſaucias: arreptumque præcipitaſſet ex edito illo ſcopulo in ſubjectum mare, niſi Crucis ille ſigno, & IESV nomine verſipellem fugaſſet aggreſſorem. In ſylvis aſſuevit ad cœlum non mente ſolùm, ſed etiam corpore transvolare. Simplex enim, & facilis ad cœlites à ſolitudine trajectio, non ambitio-

ſo

ſo Icari cum impetu recidiva. Ter videre SPINELLVM cœnobitæ inter precandum à terrâ corpore ſublimem, quòd illum terrenæ concretionis ſordes non gravabant. Semel ubi noctu conſuetas ſurrexiſſent ad preces, ſacrarium ſic præfulgere, ut conflagrare videretur: neque auſum eſſe quenquam illorum ingredi memorant: donec evaneſcente luce, SPINELLVM divina meditantem deprehenderunt. Sic penetrale cœlum pandens contemplatricis pietatis impetus meridianum noctu diem facit. Iam verò qui divini jubaris ad contemplationem perſtabat inconnivens, facilè potuit mortalia, quamvis remota, & futura è longinquo prævidere. Vnum inſtar omnium eſto documentum. Venator quidam, telis, quàm blanditiis felicior, pro ferâ puellam, Piſis ad portus Liburnos euntem, ſeduxerat, abduxeratque; ac decoram in abutendi licentiam veſtis mendacio virilis magis effœminaverat. Peragrantem prædenſa juxta Piſas nemora cupido inceſſit ad B. Virginis Deiparæ cœnobium divertendi, cui nomen Sambuca fecit, ubi SPINELLVS agebat, nemoroſo in loco poſitum. Mentem hominis divinâ prænotione pervidit idem SPINELLVS, & vocatum ad ſe cœnobitam è ſuis præmonuit, ut venatori mox hoſpitium imploraturo ſibi, fœminæque virilem habitum indutæ ediceret, nolle ſe virginalem eam Chriſtiparæ domum fœdorum hoſpitum ſcelere in lupanar profanari. Proinde aut ſolus maneret, aut certè devio cum ſcorto abiret. Paret imperanti cœnobita, miratus interim anteceptam illius animo rerum futurarum, & occultarum informationem. Ecce autem adeſt venator cum canibus, cumque pudendâ prædâ: cui brevem nocturni hoſpitii moram roganti juſſum, juſtumque reſponſum redditum eſt. Ille autem ultorem indignationis ignem, quo flagrabat, in proximas cœnobii meſſes intulit, ſed vento divinitus revolutus ignis in authorem fecit uſtulatum furoris, & libidinis buſtum. Reſcitum hoc eſt eodem ex cœnobitâ, qui poſtridie Liburnos ad portus progrediens humanum cadaver obvium habuit, informi de facie ignotum, niſi

affectatrix muliercula, exequiali gemitu, luctuque perdita, venatoris tragicam historiam docuisset. Eam verò fœminam alieno periculo, & cœnobitæ hortatu doctam è saltuosis anfractibus Liburnus tandem portus recepit. Cæterum religiosè urbana virtutum decora SPINELLVM è sylvis ad urbem Bononiensem revocarunt, ordinique suo universo præfecerunt, omnia in unum conspirata: Vt mirari non sit quod ad trigesimum quartum annum administratio perennaverit. Quidni enim indoles utilissima opportunitati publicæ insenesceret: ætatisque, quam religiosus explevit, dimidium summâ cum potestate familiæ suæ præesset? Iam licet nonagenarius, tamen rectè factorum, quàm dierum plenior, corpore decubuit, animo à decubitu excelsissimus. Tum socios lectulo circumfusos ad constantem pietatem hortatus, iisdem divinam precatus opem, vitali IESV nomine invocato, vitam devocavit immortalem, vulgari morte personatam, pridie nonas Septembris, anni à Virginis puerperio Millesimi quadringentesimi trigesimi tertii. Per dies octo cubiculum à funere suavissimum odorem posthumum spiravit. Nempe morum suavitas, & sanctimonia non solùm vitam, sed mortem quoque inodoravit.

Ex Iosepho Bonafedio in vitâ B. Ioannis Columbini par. 4. cap. 4. & ex Historicis Ord. Iesuat.

B. CHRI-

B. CHRISTOPHORVS LANDVCCIVS,

Ordinis Eremitarum S. Augustini Congregationis Ilicetanæ.

VII. Septembris.

ADulta robustaque trium & viginti annorum juventute Iliceti religioso ponderi succollavit CHRISTOPHORVS LANDVCCIVS. Hic autem ut se demitteret humiliùs, sacerdotii cœleste fastigium subterfugit. Immo Christiana, & religiosa humilitas ad humum sæpe colendam Adamo fortunatiùs CHRISTOPHORVM demisit, quòd illum crimen, hunc virtus colonum fecit. Quare spinas, & tribulos vetus, at recens cultura lilia germinavit: dum ærumnosam ille, puram hic scelerum vitam egit, quam etiam, virginale, ut creditur, lilium dealbavit. Quin etiam idem lignarius faber, idem sutor, unus idem domesticos in usus omnis erat artifex, & Proteus humillimæ charitatis. Atque is arduæ ad absterrendas ejus temporis hostiles incursiones non suasor solum, & author, sed etiam opifex turris fuit, congestis in eam rem lapidibus, lateribus, arenâ, cæterâque materiâ: unde moles turrita, erecti ad cœlum animi argumentum, excitata est. Assiduo intentus operi otium non habebat ad loquitandum: neque verbis humidis, & sine rerum pondere lapsantibus defluebat. Opportuna tantum quærentibus responsa dabat. Cæterum operosis manibus plerumque loquebatur; Ore autem vix, deque divinis duntaxat. Voluntariis corpus cruciatibus perpetuæ veluti Cruci affixerat: animus verò rerum meditatione divinarum tanquam à corpore sejunctus in cœlo habitabat. Eum Virgini Maximæ habuit honorem, ut ejus natales ferias pridiano jejunio præcolere suetus, in ejusdem pervigilio moriturus jejunare voluerit. Hinc omnes illum, qui non solùm de corporis,

poris, ſed etiam de animi facie noverant, ſummopere reverebantur. Hinc Alexander Oliva ſanctæ Suſannæ Cardinalis flexo poplite, nec ſine manus oſculo ſalutabat. Hinc Pius Secundus Pontifex nomine ac re maximus, Ilicetanum cœnobium inviſens, cum obvium habuiſſet in horto CHRISTOPHORVM, & eidem roganti ampliſſimam delictorum in obitu veniam indulſit, & pontificio dixit oraculo ad ſuos, *Hominem hunc ſanctitate pracellere arbitramur.* Et ſanè quâ ſeptuagenos annos cœnobita vixit innocentiâ, eâdem placidè mortuus eſt, anno à Chriſto nato milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo naſcentis, ut diximus, in Virginis pervigilio tanquam ſempiterno in ejuſdem complexu cœleſtes ad cunas vigilaturus. Denique in cadavere, cujus manus ſenecta contraxiſſet, & labor aſperaſſet, cujus membra univerſa letho rigere debuiſſent, tractabilis, & fuſa mollitudo immortalem animi vitam in corpus extinctum vitali veſtigio transfuſam indicabat.

Ex Herrerâ in Alphab. Auguſtin. lit. C. Torello centur. 3. cap. 88.

B. BERNARDINVS,

Presbyter Belfortenſis.

XIV. *Septembris.*

QVouſque tandem implacabilia mortalium corda ſaucius è Cruce Deus pacem, & veniam ſpirans, aſperitatem veſtram, atque duritiem ſuſtinebit? En iterum obſtinato in ſceleribus rigori veſtro ſaxa teneſcentia, ac ſtipitum emollitus rigor invidiam faciunt. In æde Belfortis oppido proximâ ſacris operabatur inclyti pietate nominis ſacerdos BERNARDINVS, cum ſubita armatorum manus, circumſtantium, quos ad cædem forte deſtinaverat, exitio imminens ad fores effunditur, ſeque ad patrandum nefarium facinus expediebat. Ad improviſos trepidantium, terrentiumque clamores

mores conversus BERNARDINVS arreptâ ex altari Cruce insanum illum impetum sacratissimi pignoris objectu compressurus accurrit, & ne fulmini quod intentabat, unà cum splendore suum deesset tonitru; Quis hic tantus furor, inclamat, vobis Templum, Cœlum, Deum excutit animo? Nihilne vos loci, quem tenetis amplitudo, & vel ipsi cœlesti militiæ formidata majestas, nihil aræ, atque altaria, effigiesque superûm Deique præsens, & manifestum numen ab immanis cœpti gravitate deterret? Pacis & otii est, si nescitis, hæc sedes, expiandis, non patrandis sceleribus instituta; procul hinc tela, procul insana humani cruoris facessat rabies, neque ad innocentium, & supplicum cædem aliter quàm per sauciandi iterum Christi Domini pectus pervadat. Talia eum maximè clamore, & vultu, & universo corporis habitu expromentem undique circumsistunt, primamque nefariæ suæ crudelitatis victimam faciunt; Crux verò, Christique in eo pendentis imago tantâ acceptâ in suo sacerdote contumeliâ, mirum dictu, à morientis dextera spontè abscedens, magno impetu in templi portam se tulit, victâque obstantis ligni duritie locum suæ magnitudini accommodum effodit, ibique constitit, dociliusque ad pietatem induendam stipitis inanimi robur, quàm corda humana probavit. Quin ipsum pavimenti marmor hiulcis veluti labris sanguinem è BERNARDINI vulneribus defluum exsuxit: & ad hanc usque diem longè ambitiosius hujus cruoris maculas exhibet, quàm Phrygia jaspis venas ostentet pretiosè sanguineas. Diceres hominibus in saxeam duritiem abeuntibus saxa ipsa venerabundam humanitatem induisse. Tantis permoti prodigiis Belfortis incolæ, sacrum cadaver peculiari loculo condiderunt, ejusque memoriam cum honorificâ Beati viri mentione insignivere, hac maximè tumulo ejus epigraphe præscripta: HIC. SVNT. SEPVLTA. OSSA. BEATI. BERNARDINI. QVI. FVIT. CAVSA. ISTIVS. MIRACVLI. SANCTÆ. CRVCIS. Crux verò, & januæ lignum, quod ipsam Crucis formam expressam etiamnum exhi-

Plin. lib. 37. c. 8.

bet, summo studio servantur ne dixerim ab oppidanis, an eosdem servant? Innumera sanè beneficia, repressum præsertim non semel virus pestilentiæ ad ejus ditionis fines latè grassantis, signo illi salutari referuntur accepta. Et verò cum sæculo ab ortu Reparatoris quarto supra decimum mira illa Crucis impressio è tabula repentè evanuisset, Belfortenses gravissimis damnis afflicti diutiùs ingemuere: donec exacto triennio unà cum reddità Crucis specie, Divinæ clementiæ serenitas miseros hilaravit. Usque adeo nunquam acerbiùs cruciamur, quàm dum longè absumus à Cruce, quæ planè omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum. Atque ità strenuè obitam à BERNARDINO mortem remunerari vel in terris perenniter videtur cœlestis benignitas. Ipsa enim pro monumento tanti miraculi nunquam non laborans industria, constantissimi sacerdotis gloriam non patitur consenescere; quæ quidem, ut eo celebrior posterorum in animis versaretur, Pius Secundus expositam peculiari diplomate universam rei gestæ seriem Apostolici testimonii dignitate honestavit, certa peccatorum indulta venia si quis per dies festos recepti in cœlum Christi Domini, & exaltatæ sanctissimæ Crucis templum tanto thesauro nobilitatum inviseret. Quanto itaque veriùs, quàm illud Pheræi Iasonis, hoc sacerdotis nostri Divinæ fortunæ vulnus nuncupandum videtur, quod ipsi quidem immortalis gloriam vitæ, popularibus verò suis venam bonorum intulit perenniter salutarem?

S. Leo serm. 8 de Passione Domini.

Valer. Max. lib. 1. cap. 9.

Ex diplomate Pii Secundi dato Senis an. 1458. *Kal. Aprilis. Pontificat. an.* 1. *& ex monumentis oppidi Belfortis.*

DAVID,

DAVID,

Ordinis Cisterciensis, Episcopus Soanensis.

XV. Septembris.

HAbes quos in uno DAVIDE suspicias, Religiosissimum Monachum, perfectum Præsulem, & planè salutarem Patriæ civem. Cisterciensis Ordo assuetus magnis nominibus cœlitum fastos implere, in suæ pietatis odorem inter cæteros Senensis nobilitatis flores etiam hunc abripuit anno à Partu Virginis MCCL. & hunc quidem è medio honorum curriculo, quibus Iuvenem per omne disciplinarum genus excultum Respublica cumulare jam cœperat. Quàm miros in sacrâ virtute profectus brevi spectandos dederit, prodidit, ut cætera sileam, summi sacrorum Arbitri Clementis IV judicium. Primò enim, cum ipse Cisterciensium ordo in eligendo sibi supremo Moderatore turbidis discordiæ fluctibus ageretur, ad eosdem compescendos DAVIDEM jam sapientiæ, sanctimoniæque famâ percelebrem Pontifex in consilium adhibuit: & nonnisi ad eorum normam, quæ ille collato cum superis studio diligenter excussa illi statuenda proposuit, edito insigni diplomate domesticas Ordinis turbas, ac simul exterorum obloquentium linguas compressit. Re tam feliciter peractâ visus est Clementi unus præ omnibus DAVID idoneus, qui celebris in Hetruriæ montibus Eremi incolas Camaldulenses, labefactatâ Religionis disciplinâ minus jam claros ad sanctiora veterum instituta redigeret. Eâ igitur, qua par erat, delegati muneris authoritate DAVID illuc se contulit. Sed authoritatis imperio, aut longis adhortationibus illi opus non fuit, qui per vitæ admirabilis exempla efficaci compendio rem poterat universam conficere. Paucos igitur intra dies ad Hospitis normam Ascetæ mores suos cœperunt exigere: eoque feliciùs, quod viri peramabilis comitas virtutem licet in excelso positam, facili tamen accessu penetrabilem exhibebat.

hibebat. Atque adeo alios jucundissimè demirati se ipsos, ut novo quasi Parenti gratum statuerent monumentum, veteri sui ordinis stemmati unam è tribus gentilitiis DAVIDIS stellis addidere, cujus videlicet radiis excitati, ad tam benefici viri memoriam se perpetuò componerent. Eximiam hanc DAVIDIS potentiam in alienis moribus ad pietatis amussim dirigendis suspiciens Ildebrandus Aldobrandeschus Palatinus Comes, non alium sibi eligendum censuit, quem nuper extincto Soanensi Episcopo sufficeret, ad urbem, ac reliqua suæ ditionis oppida sanctiùs instituenda. Et id nimirum unanimi consensu ardebant sacri, ac profani Ordines: sed sola reluctabatur acerrimè viri modestia, precibus, ac momentis rationum omnibus inflexa. Biennio certamen fuit: & verò dignitas frustra ambivisset ultra fugientem, nisi tandem Gregorius hujus nominis Decimus intentato metu anathematis, & noxæ lethalis ad subeundum cœleste illud onus Atlantem se ipso solùm judice imparem adegisset. Nunquam lætiùs in eâ ditione ridere visa est Christiana pietas: auctus templorum nitor, sacrorum frequentior cultus, proscripta publicè scelera, sacerdotum præsertim mores in clarum aliorum exemplar conformati, corroboratæ denique virtutum omnium vires, accitis Dominicani, ac Franciscani Ordinis præsidiis, DAVIDIS electionem cœlo ratam perspicuè probarunt. Rapiebant inprimis animos, Præsulis erga miseros rara benignitas, & placidi vultus semper sibi constans temperies, adeo ut irasci, quæcumque irritarent adversa, nunquam sit visus: par videlicet syderibus suis, quæ turbinum, ac fulminum iras imperturbata despiciunt. Sibi porrò demeruit tam egregia mansuetudo vim è cœlo miram ad aliorum vel maximos impetus, furoresque premendos. Validas in Hetruriâ copias legerat Carolus Primus Neapolitanorum Rex in Aragoniæ Regem Petrum, cum fortè nobilis Gallus, & Carolo percarus Senis est cæsus. Ad tristem nuncium subitâ indignatione percitus Rex jubet, copias omnes contra Senensem Vrbem magnis itineribus progredi, ut publico sanguine priva-

privatam cædem expient. Improviso discrimine commoti Cives, quod unicè opportunum remedium occurrit, communem spem DAVIDI committunt. Ille verò Patriâ benè sperare jussâ, Dei Numen sibi antea per supplicationes propitians, Regi alacer occurrit quasi officii gratiâ, veniæ implorandæ causam alto interim consilio dissimulans. Et Carolus quidem virtutum Præsulis famâ permotus, perhumaniter exceptum mensæ, ac viæ sibi comitem adjunxit. Et ecce ex itinere incidunt in Ædem Deiparæ sacram: unde (quæ erat cæteroqui pietas Principis sancto Ludovico Galliarum Regi germani) ad præstanda Virgini Maximæ precum obsequia, statim Carolus ex equo descendit. Nihil enimverò DAVIDI poterat opportunius accidere, ut Regis animum, quem blandiloquentiâ sensim emolliverat, ad clementiam in suos Cives penitùs inflecteret. E precibus itaque surgentem Carolum suis ipse precibus sistit, & quasi non tam Senarum, quàm ipsius Virginis internuncius, ut in Regum Reginæ gratiam iras adversus Senensem urbem conceptas ponat, orat, è vestigio exorat. Magno Israëlitarum Davide hoc gloriosior, quod prædam spe jam devoratam non ferarum regi, sed Regis ferociæ longè magis timendæ subduxit. Adeo difficile non est, alienos animi motus vincere suorum Victori. Ferunt, revocatis jam castris, lupam extemplò è proxima sylva sub Caroli oculis exilientem, certo teli Regalis ictu transfixam cecidisse. Tunc Præsul è re natâ lepidè jocatus, Hæc verò, inquit, vindicta placet, inclyte Rex, quam benè in lupâ suâ cecidit ad pedes tuos Sena devicta! Sic ludens DAVID salutare patriæ negocium seriò confecit. His, aliisque ingentibus viri meritis devincti Senarum Cives omnem lapidem movere, ut à Soanensi ad patriam sedem DAVID gradum facere assentiretur. Sed qui levius onus nonnisi ineluctabili Pontificis vi compulsus olim susceperat, graviusne modò ultrò susciperet? ut tamen speciosa quæque pericula certiùs effugeret, ad melioris Patriæ immortales honores, sexagenarius & vitæ asperitate, laboribusque jam fractus evocari obtinuit. Decubuit

Leo tollebat arietem, & eruebam de ore ejus. 1 Reg. cap. 17.

Anno 1282.

buit rudibus Monachi vestibus indutus; hoc est triumphum agere voluit in purpurâ paupertatis. Sed & nobis cum supremum videbimus, saccus omni longe purpurâ pretiosior videbitur.

Ex vitâ editâ ab Antonio Libanoro Abb. Cistercienſi.

BERNARDINVS PECCIVS,

Societatis Iesu.

XV. *Septembris.*

SEnensis pietas, ut toti latè Orbi terrarum illustrando sese parem probaret, debuit post unum Bernardinum sanctimoniâ nominis inclytum Occidenti datum, alterum in Orientem quoque transmittere. PECCIVS hic est, apud Indos Eöos, non sub alio quàm BERNARDINI SENENSIS nomine celebris: cœlo videlicet in dilectam urbem propitio id singulariter præstante, ut viri utriusque genere, ac virtute prænobilis laudes à Patriæ gloriâ indivisæ perennarent. Similitudini nominis accessit, per calcatas opes, mundique illecebras ad religiosa castra ambos propensissimo studio properasse; IESVM, cujus nomini ille etiam atque etiam addictus fuit, hunc Ordinis professione, ab eodem augustissimo nomine nuncupati, peramanter esse sectatum; & utrumque germanum Euangelii præconem procurandæ animarum saluti strenuam operam impendisse: PECCIVM tamen eò feliciùs, quod profusâ sanguinis eloquentiâ Christianam causam vel moriendo defendit. Triumphali pugnæ prolusit Romæ Societati IESV initiatus tam alacri omnium exercitatione virtutum, ut vix Religiosæ probationis confecto curriculo, Indicam expeditionem, quam enixis votis è sociis plurimi post lustra suspirant, exorare meruerit anno post Reparatorem natum MDCII, ætatis verò suæ tertio & vigesimo. Indias ubi tenuit, avidissimo alienæ salutis per conciones lucrandæ, multò duriùs luctandum fuit cum difficultatibus

bus in addiſcendo barbaro idiomate animum tædio moleſtiſſimo remorantibus, quàm in longiſſimæ navigationis diſcriminibus antea tolerandum fuiſſet. Amor tamen, à quo nihil non vincitur, eas quoque difficultates tandem exhauſit, & BERNARDINVM miro cum populorum fructu facundum fecit. Et jam feliciter diu res ceciderat, cùm cœlitùs viro mens eſt injecta, ad Iaſanapatenſem Provinciam loco disjunctiſſimam contendendi, ut illam reliquis jam excultis pietate conjungeret. Sex integros menſes in exoptatâ profectione poſtulandâ apud Moderatorem ſuum perſtitit, quanquam id muneris præcisè ſemper negantem. Cœlum tamen, quod BERNARDINO triumphum ibi gentium jam adornabat, ut tam perſpectæ conſtantiæ precibus cederet, Præpoſiti mentem denique inflexit. Voti compos, quàm citiſſimè potuit arduum illud iter exegit, quaſi non tam ad pugnam, quàm ad palmam inter quæſtuoſa pericula ſe lætiſſimum ferri ſentiret. Certè ubi ambitam regionem tenuit, diu illi certandum non fuit: nam ferè ſtatim atque de rebus Divinis ad barbaros illos Ethnicos cœpit dicere, ab ingratis obtruncatus ad cœleſtem lauream evolavit: tam heroicè dato, dum oraret, ſanguine oſtendens, multò beatiùs, quàm candidam, lacteamque facundiam ſacris Oratoribus affectandam eſſe purpuream, & præ reliquis dicendi rationibus triumphare tam ſanctè conciſam. Sacrum BERNARDINI cadaver à ſociis ejuſmodi cædem invidentibus magis, quàm indolentibus, quo fas erat obſequio exceptum, odorem inhalavit mirè jucundum: ut vel ſic perſuaderet, ſe non morte, ſed immortalitate mactatum eſſe, & ſuaviorem è cœlo ſpiritum ducere.

Anno 1628.

Ex literis annuis Soc. IESV.

MAT-

MATTHÆVS GVERRA,

Congregationis Sacrorum Clavorum Fundator.

XXV. Septembris.

RVdimenta Christianæ perfectionis posuit MATTHÆVS in magno Senarum Nosocomio: & videlicet in tam amplo mortalis miseriæ theatro veram mundi speciem æquis oculis contemplatus, egregiè didicit larvatam felicitatem despicere. Hinc eo ipso in honoris prospectu gratissimam charitatis scenam aperiens, nullis non obsequiis studuit jacentium recreandis languoribus, & corporum animorumque ægritudini ope assiduè benignissimâ sublevandæ. In quæ commiserationis officia ut ultro currentem animum acriùs etiam extimularet, cubiculum sibi illud obtinuit, quod olim S. Bernardinus dum iisdem pietatis muneribus grassante lue detineretur, suâ inhabitatione sacravit; & evoluto proximè sæculo Brandanus, magnus ille sui, Mundique contemptor, infimæ animi demissionis umbris mirè illustravit. Neque verò pavimentum illud MATTHÆVS calcare unquam audebat, quin sanctissimorum virorum vestigia relegenda sibi esse revocaret in mentem. Eo in conclavi horas, quibus ab ægrorum famulatu sibi vacabat, sacris precibus recitandis, Divina meditandi studio, variis, sævisque corporis afflictationibus impendebat, unà cum aliis, quos vel illius adhortatio, vel exempli silentium quolibet sermone præstantius viro adjunxerat. Tam dignè probatus admitti meruit in Almæ Virginis sodalitatem eidem Nosocomio subjectam, vetus nempe sanctorum in seminarium. Atque hic splendidis intaminatæ vitæ, fervidique sermonis illiciis cum longè plures in sui admirationem, cœlestisque necessitudinis usum pertraheret, angusto jam novorum sociorum cœtui S. Bernardini cubiculo, sextâ Sanctioris hebdomadæ feriâ, die videlicet patientem Christum unicè amanti feliciter

citer auſpicatâ, ſacrum cogere cœtum cœpit in ſacello, cujus ab arâ Beati Sororis cadaver ab annis jam ſupra ſeptingentos planè illibatum immortalem animi felicitatem ad vivum ſpirat. Nomen tamen ſacello dedit ſervatus in eo pretioſiſſimus clavus ex illis unus, qui Cruci Reparatorem defigentes, ſalutem è terris ad id uſque tempus profugam triumphali ligno devinctam humano generi ſtatuerunt. Ex quo tam felicis auſpicii monumento viſum poſtmodum eſt MATTHÆI ſodalitati, à ſacris Divini Reparatoris clavis ducere titulum, ac inſigne. Amplioribus in loci ſpatiis, pietatis quoque terminis amplificatis, conſuetis muneribus id addere placuit, ut in ſingulas noctes ſeptem, quas à pœnitentia dicimus, Davidis Odæ canerentur, feſtiſque diebus pueri Chriſtianæ Doctrinæ elementis imbuerentur. Intereà ſpirante Numine Abbas Iulius Tutius ſancti Georgii ædem, & reditus illius omnes ultrò abdicans MATTHÆO ceſſit: commodiùs ut poſſet ingentem ſectatorum numerum in unam ſacerdotum, ac laicorum, quos vocant, ſodalitatem coactum, mutuæ charitatis ardore fovere, ac in omnem virtutum exercitationem provehere. Et verò ſecundante cœlo proceſſit res adeo feliciter, ut novæ familiæ gratiſſimus odor extra urbem, ditionemque Senenſem longè lateque fuſus Tertiumdecimum Gregorium, ac Sixtum Quintum ad ſanciendam Pontificii diplomatis authoritate, ac præconio novam ſodalitatem, permoverit, undè & Purpurati Eccleſiæ Principes Paulus Æmilius Sfondratus, Cæſar Baronius, ac Federicus Borromæus eidem aſcribi operæ pretium duxere. Quid quod illud ipſum ſanctimoniæ prodigium Philippus Nerius, in eorum ſociorum album ſuum nomen (quali gemmâ notandum!) petiit recenſeri. Vſque adeò, cum Romanâ pietate Senenſis conſpirat, utque illius ſtudioſiſſimus fuit, hanc quoque non amplecti nequiverit: quidni autem tam eximio Virginis clienti Virginis Civitas in amoribus eſſet? MATTHÆVM certè veluti ſibi in Mariano cultu gemellum, & crebriùs per intimæ neceſſitudinis literas abſentem, præſentemque non raro dulci-

Anno 1579.

Anno 1584.

Anno 1584, & 1586.

Cardinales aliqui, & ipſe S. Philippus Nerius Senenſi Sacrorum Clavorum Sodalitati aſcripti.

bus amplexibus ſibi devinxit. Quid plura? corporis vinculis ſolutus puriſſimus Philippi ſpiritus ambîtum, atque ambiens cœlum ſubire minimè ſuſtinuit, niſi priùs ad amicum Senis commorantem diverteret, eumque felicis obitus ſui certiorem reddens bearet verbis nectare manantibus, amplitudine majeſtatis, vultu ſuo. Philippi de MATTHÆO judicium ratum ſuo calculo voluere Pontifices, quos diximus Gregorius, ac Sixtus, non vulgaribus encomiis viri meritum dignantes. Et Sixtus quidem per epiſtolam ſuo juſſu conſcriptam à S. Philippo, illum Romam accerſitum præfecit noſocomio percelebri ab ejuſdem Pontificis nomine; voluitque ut per certas leges veram pietatis, rectique ordinis normam ipſe ibi præſcriberet. Clemens quoque hujus nominis Octavus eo in pretio MATTHÆI ſanctimoniam habuit, ut hominem literaturæ funditùs expertem non ſemel facundiâ cœlitus disertâ concionantem audire voluerit, ac planè ſuſpexerit. Nihilò minori æſtimatione MATTHÆI ſanctimoniam proſecuti ſunt Magni Hetruriæ Duces, virtutum, eorum maximè in ſolo florere gaudentium, munificentiſſimi judices. Adeoque Ferdinandus Primus ſecundas aures viri conſilio illico præbens, inclytæ pietatis morem illum perpetuò ſervandum ſtatuit, ut ex Regio ærario impensâ in annos dote pauperes quamplures ex Hetruriæ ditione puellæ ſublevarentur: pudicitiam, ne flagitio venalis pateret, per MEDICEÆ benignitatis manus cœlo gratiſſimè redimente. Atque ex hoc etiam nomine tantorum Principum domum veræ virtutis altricem à percelebri inter Hiſtoricos Præſule compellatam eſſe, nemo ratum non habeat. Vt porrò egregii Conſiliarii memoria uſque ſuperſtes eſſet, voluit Ferdinandus, ſupplices Senenſium puellarum libellos ita demum ratos eſſe, ſi MATTHÆI ſodalibus probarentur, & eorum aliquibus comitantibus dotandas Virgines Florentiam ſtatis temporibus pergere. Quam aliis perſuadebat in egentes benignitatem, tenerrimo ſenſu ipſe vel ultra vires exhibebat. Neque minus illuſtrem MATTHÆVM reddidit in ſumma Principum, ac populorum

Magnorum Hetruriæ Ducum pia beneficentia.

Iovius in elogio Argyropoli.

pulorum erga ipsum veneratione infima mentis demissio, quâ incitante, ut plaudentis Romæ auram effugeret, suorum facilè cessit filiorum affectui, illum Senas revocanti. Vbi præstantioribus in dies sanctimoniæ exemplis sodalitatem suam, & urbem universam instruens, annum tandem ætatis agens sexagesimum tertium ad Philippum suum dulciùs jamverò amplectendum evolavit. Institutam ab ipso sodalitatem novis diplomatis à Paulo Quinto, ac Vrbano Octavo confirmatam ita dividi placuit. Sacerdotum convictorum muneris est, in S. Georgii templo populum ad præcipua pietatis officia excitare, ad opem præsertim afferendam animabus inter piaculares flammas se cœlo probantibus. Atque horum coloniam Pistorium fuisse transmissam, ea Civitas in parte felicitatis ducit. Reliqui verò sociorum, templo proximam in Proseucham certis diebus convenientes precibus, pœnisque voluntariis vacant. His lex illa severior præscripta, ut nunquam in publicum religioso agmine procedant, nisi nudis pedibus, nudumque tergus flagellis perpetuo viæ tractu cædentes. Verum licet hâc ratione divisa sodalitas, in id tamen unanimi sensu conspirat, ut quot fratres, tot ad vivum spirantes exhibeat tanti Patris imagines.

Ex monumentis Congregationis sacrorum Clavorum, & ex Petro Baccio in vitâ S. Philippi Nerii.

OCTOBER.

B. CATHARINA COLVMBINA,

Virgo Sanctimonialium Iesuatarum Parens.

XX. *Octobris.*

MIseram antiquitatem, quæ laternarii sui Diogenis vanissimo studio hominem quærens, invenire non potuit. Quantò feliciùs Christianæ pietatis Philosophus Ioannes Columbinus admirabili ope lucernæ, quam (ut in illius vitâ retulimus) per integram noctem nihil planè liquoris alentis absumentem ardere jussit, vel in fœminâ virum aut invênit, aut fecit. CATHARINA hæc est ipsius Ioannis patruelis, cujus pectus ad fervidas viri sanctissimi adhortationes sensim egelidum, in prævalidos tandem erupit charitatis ardores. Hinc illecebris mortalis vitæ posthabitis, honestissimo fastu, & superbiâ rectè jam tandem formam sequente terrenum quemlibet sponsum despiciens, virgineas nuptias, hoc est Deo unicè dignas ambivit. Quæ jam olim voluntariæ paupertatis, corporisque castigationis nominibus delicatas lædi aures indolebat, mox rudis, graviorisque panni veste pristinam sensuum levitatem plectens, nudosque assiduè pedes temporum, ac viarum inclementiæ objiciens, nonnisi erogatâ stipe victitare non dubitavit. Quin etiam cum adversus pudoris sui nives impuros ignes intimè conspirare aliquando sentiret, cruento illos imbre statim generosa restrinxit, ferreis flagris per totum decursum Davidicorum septem carminum, quæ à pœnitentiâ nuncupamus, in teneros artus desæviens: frementibus interim atris geniis, & se à CATHARINA devictos tristi ejulatu fatentibus. Eò tamen jucundiùs superi plaudebant eloquentiæ, stylo doloris ad sanguinis clepsy-

31 *Iulii.*

Ovid. 1. Fastor.

clepſydram pro tuendâ pudicitiâ validè peroranti. Sed in morem Virginis abiit, bis in ſingulas noctes corpuſculum flagellis cædere, ut ſomni quies non tam inflictorum verberum lenimen eſſet, quàm ad nova irritamen. Atque ut inteſtino hoſti robur planè omne detraheret, fame illum perenniter afflixit, diebus præſertim, quibus (& frequentes erant) ad participanda myſteria Divini Corporis accedebat; iis quippe, nullo prorſus alio cibo veſcebatur: meritò terrenas eſcas faſtidiens, dum Divini promulſidem epuli probè guſtaverat. Et verò ad ſacrum illud convivium CATHARINAM cœleſtibus deliciis ſuaviſſimè expleri vel indè conſtabat, quòd illicò à ſenſibus abreptus ejus animus ferebatur ad ſuperos, nec vanè ſibi videbatur mediis diſcumbere in aſtris, & immortale merum libare. Suis certè radiis aſtra corpus ipſum per id tempus abalienatæ beare gaudebant, imò & ab humo altiùs abripere. Nunquam tamen illuſtriùs res accidit, quàm cum duarum ſpatio horarum, & ſemel ad quinque horas per plures cubitos è pavimento ſublimis, totoque corpore coruſcans intuentium oculos perſtrinxit; ut ſanè, ubi CATHARINA æternum ſponſum pectore exceperat, dubitari non poſſet, Iuſtitiæ Solem in Virginem prælucere. Cœleſtis Aulæ ſplendidis honoribus crebriùs excepta, quid deinde mirum ſi è mortalibus proximè abitura in eas voces eruperit, Domine dilexi decorem domus tuæ? Cum porrò de tam beatâ Domo ab amantiſſimo ſponſo immiſſam ad ſe invitandam videret cum Ioanne patruele ſuo Senenſem Virginem Catharinam Benincaſiam (adeo ſanguinis, & Patriæ amor, ſi pietatem ſpiret vel ſuperos decet) feſtivior ſubdidit: O Beata Catharina, & Parens animæ meæ Ioannes, tutelares optatiſſimi ecce ad vos venio. Enimvero an non lætiſſima abiret ad nuptias virgo in paucis prudens, quæ ornatam lampadem inextinguibili luce fovere à Magiſtri ſui lucernâ jamdudum egregiè didicerat? Anno ſalutis publicæ MCCCLXXXVIII. initæ vero ab ipſâ ſanctioris vitæ ſecundo ſupra vigeſimum evolavit ad ſuperos hæc Columba, quam certè ve-

Stat. lib. 4. Sylvar. carm. 2.

Pſal. 25.

Iuvenal. Sat. 2.

niam licet det corvis, nulla poterit censura vexare. A morte inventum est illius cadaver catenæ, atque cilicii carni penitus inhærentium aculeis, textilibusque suppliciis saucium, ostendens videlicet impendio dignius esse, quàm Cæsarem stantem, contra tela Cupidinis armatam Virginem mori. Meruit postmodum quæ Divinæ Domus decorem adeò in amoribus habuit, ut domum suam in Vallisplattæ extremo margine positam, tantarum virtutum vestigiis, quàm majorum prænobilium insignibus illustriorem, in Sacrum Parthenonem conversam aliæ aliæque Virgines unicè diligerent, Ioannis legibus per CATHARINÆ exempla mirè probatis feliciter insistentes. Sanè nusquam auspicatiùs candidum agmen posset volatum in cœlum columbatim explicare, quàm ubi COLVMBINA dux iter expeditum ostendit.

Ex Io. Baptistâ Rossio in Triumpho B. Io. Columbini par. 2. cap. 14. & è Scriptoribus Ordinis Iesuat.

ANTONIVS BETTINVS,

Ordinis Iesuatorum, Episcopus Fulginas.

XXII. *Octobris.*

NEmo ambitioni infensior, quàm ANTONIVS, exhorruit honores, ac fugit: neminem ambitiosius honores visi sunt persequi. Iuvenis nobilitate sanguinis inclytus per omnes disciplinarum gradus ad sapientiæ fastigium evectus, Senense Lycéum ingenii sui admiratione compleverat: cum gloriam plausibus leniter aspirantem anxio magis studio evitans, quam adversos alii turbines caveant, ad Iesuatorum Ordinem sanctioris videlicet modestiæ tutissimum portum, sese recepit. Neque verò generosum animi impetum remorari valuere, præter paternas opes, ex Ecclesia proventus, aut alia quævis vanæ bracteatæque felicitatis bona, ad quæ generis humani cœca cupiditas obstupescit. Ea quippe non

non aliqua, ſed omnia cenſuit eſſe, in quibus ex veteri dicto, profectò damnum præſtet facere quàm lucrum. Mundo calcato quantum humano faſtigio celſior aſſurrexerit, facilè intelliges ex altiſſimâ animi demiſſione, quam meritò Matthæus Panicius Dominicanus magni nominis Theologus, cœlitùs ANTONIO ad prodigium infuſam eſſe, ſcriptum reliquit. Et verò eâ in virtute tanto admirabiliorem ſe præſtitit, quòd non ſanctè humilis, ſed vilis videri affectabat, & ingenioſiſſima amoris arte modeſtiam ipſam nova gaudebat occultare modeſtiâ. Verùm iiſdem quibus ſeſe involvebat umbris illuſtrior, ab Ordinis præſide tanquam unicè conſpicuus deſtinatus eſt Romam, ut ab Eugenio hujus nominis Quarto templum ibi, ac domicilium ſociis exoraret. Tunc ſi unquam Romanam Vrbem lucem Orbis terrarum licuit appellare, cum tanti viri ſanctimoniam bono in lumine collocavit. Ea certè ſupra quàm credi poteſt abreptus Cardinalis Vrſinus Ieſuatis regiâ planè liberalitate conceſſit SS. Ioannis & Pauli templum, & unà cum opulentis annuis cenſibus dono addidit ſuum ipſius palatium in ea Cœlii Montis parte, in quâ ſeptuaginta ſupra ſexcentos ante Deum hominem annos Tullius Hoſtilius Romanorum Rex Tertius Regiam erexerat. Geſtiebat ANTONIVS procul à magnatum plauſibus ſuam in ſolitudinem remeare: cum ad ſolium Divino in terris proximum evectus Pius Secundus, magnum illud Senenſis nominis decus, viri merita jamdudum perſpecta habens, primò BETTINVM Mantuam ſecum ad Concilium adduxit, mox legatum ad Franciſcum Sfortiam immiſit Mediolanenſium Ducem: qui ſanctiori ANTONII conſuetudine captus, ejuſdem in gratiam alios ex Ieſuatis in ſuam Vrbem accivit: & ſuppeditatâ largè pecuniâ prænobile S. Hieronymi cœnobium illis erigi voluit. Sed & in Inſubriâ generalem ut vocant ſpoliorum collectorem, & univerſæ Italiæ (Vrbe dumtaxat exceptâ) ſummum Pœnitentiarium Pontifex ANTONIVM ſtatuit, ac denique Fulginiæ infulam illi obtulit uſque adeò nobilem, ut Paulus Tertius Fulginatem Eccleſiam Chriſtianæ

Plaut. in Captivis.

Cic. in Catilin. 4.

Ferd. Vghellus tom. I. Italiæ ſacræ tit. Fulginates Epiſcopi.

ſtianæ Religionis Seminarium, ipſiuſque Romanæ Eccleſiæ ſacrarium honoris gratiâ compellare conſueverit. Negat ANTONIVS ſe oneri parem eſſe, precibus, lachrymis, ac momentis rationum omnibus reluctatur, & planè cogi meretur. Quamobrem pro eo ſummi Pontificis imperio, cui nefas obſiſtere, Mediolani ab Archiepiſcopo inſignia Præſulis excipit, quali poſtmodum plauſu à Fulginatibus ipſe excipiendus! Sanè vix Fulgineam pervênit, cum ejus ſanctimonia omnium in ſe mentes, amoreſque convertit. Exprimebat ex intuentium oculis uberes lætitiæ lachrymas tenerrimum illud ſtudium, quo ſuas oves Paſtor amantiſſimus procurabat, in miſeriores quidem propenſiùs, quibus idcirco pietatis ut appellant Montem erexit. Quare ſi reliquâ in Italiâ, quantò magis Fulginiæ ſuæ, Divino planè titulo Pater pauperum audiebat? Frequentiùs concionabatur, & Chriſtianæ Fidei elementis pueros, ac rudes quoſque informabat. Scelerum ſeverus vindex ſacros præſertim homines ad Religionis amuſſim expendebat, ipſe interim virtutum omnium, auſteritatis præcipuè normâ bis quotidie flagris deſæviebat in artus aſſiduis laboribus fatiſcentes. Vbi per noctem reſpirare licebat ab aliorum curis, antequam ſomno ſuccumberet, poſt animum diligenter excuſſum facta, ac dicta, quæque remetiendo, ſi fortè quid labis ex vario rerum uſu contraxiſſet, in preces effuſus per arcanos congreſſus ſuperis mirâ quadam ſpiritus dulcedine jungebatur. Dum igitur opulentiori dignitate ad ſegnitiem, luxumque minimè inflexus, ſed planè veteris obſervantiæ retinens, extra Religioſa Caſtra religioſiſſimè viveret, idoneus unicè viſus eſt Paulo Secundo, qui labefactatam diſciplinam Clarevallenſium Monachorum ex Ordine Ciſtercienſi priſtinæ integritati reſtitueret. Quare duplici ad ANTONIVM dato diplomate, ad tantam provinciam eò acriùs fervidam viri charitatem excitat, quod deploratam oſtendit ejus Aſceterii conditionem his verbis: *Novimus ſiquidem Monaſterium illud reditibus, atque proventibus ſufficienter dotatum, magnâ Mediolanenſis populi, & nonnullorum Principum largitione*

Datum 27. Auguſti, & 1. Septembris ejuſdem anni 1465. Pontificatus an. 1. & 2.

ne adauctum, amplissimis ædificiis extructum sive per incuriam eorum, qui ipsi Monasterio præfuerunt, vel propter hostilitates, & malitiam temporum ad magnam in spiritualibus desolationem pervenisse, ita ut penè nulla regularis observantia, nulla monastica disciplina servetur. Verum quò profligata magis res videbatur, eò clariùs BETTINI prudentia, ac pietas eluxit, dum ex ipsis monasticæ disciplinæ ruinis ut pulchrior Cœlo consurgeret Religionis integritas, effecit. In hoc videlicet Religiosissimæ virtutis speculo qui poterant Cistercienses illi non se illico reformidare, & tam miserè mutatam sui speciem non erubescere? Civem hunc suum usque adeo in permovendis mentibus efficacem mirata Senensis Respublica exoravit, ut ad Cæsarem publicæ incolumitatis ergo iter arriperet, quæ legatio felicem planè exitum sortita est. Sed ille magis magisque indies pertæsus populorum in se studia, & Pontificiæ sub pondere dignitatis tremens, preces ad Pontificum Maximos crebriùs ingeminaverat, ut posito Episcopatu ad Senensem sui Ordinis solitudinem redire se paterentur. Sed obstructas aures diutiùs invenit defigentium oculos in eximiam utilitatem, quæ redundabat in populos è tanti Præsulis curâ. Donec ingemiscentem Senem commiseratus ab Innocentio demum Octavo quod optabat accepit. Nemo tantâ cum lætitiâ infulæ honorem recepit, quantâ in deponendo perfusus ANTONIVS est: sic videlicet assequens inæstimabile illud bonum, suum fieri, postquam tandiu se sibi eripuerat, ut omnium esset: at nunquam acerbiùs sanctioris lætitiæ fulgorem sibi deficere Fulginiæ civitas sensit. Atque ita ANTONIVS insequentem usquequaque honorem victor fugitivus tandem elusit: & è tanto jam Antistite penè nullus ad decrepitam usque ætatem, unius nempe ac nonaginta annorum, intra claustri angustias vitæ reliquum latuit. Nisi veriùs in honoris, gloriæque culmine tunc eluxit, cum gloriam penitùs, honoremque calcavit: & Christianus Orbis in BETTINO maximè suspexit Antistitem, cùm ultrà non aspexit. Certè occultatam curiosissimè, dum superstes esset, sanctimo-

Senec. epist. 76.

niam suavissimus, qui ab extincti corpore spirabat odor, latè prodidit. Mortem autem ad supremum usque mortalis ævi terminum dilatam tranquillissimè, & sanctissimè obiit, postquam edito septennio antea egregio opere de Divinâ Prærdinatione vitæ, & mortis Christianæ, mortem ipsam horrore deterso formosam, amabilemque reddiderat.

Ex Paulo Morigiâ de origine Religiosorum Ordinum lib. 1. cap. 38. & in Paradiso Iesuatorum lib. 4. cap. 10. & in hist. antiquitatum Mediolanens. lib. 1. cap. 26. & lib. 2. cap. 26. Ferd. Vghello to. 1. Italia sac. tit. Fulginat. Episcopi n. 41. Iosepho Bonafede in vitâ B. Io. Columbini lib. 4. par. 2. cap. 3.

B. IOANNES CHISIVS,

à Macereto, Ordinis Eremitarum S. Augustini.

XXVIII. *Octobris.*

HEu fuge patriæ solum IOANNES, quod subdolum tibi, & naufragum salum est. Nocentiores hîc Sirenes, nempe illecebrosæ voluptates, non auribus tuis; sed moribus insidiantur. Tu tamen etiamnum Vlysse incautior non obsurdescis. Sed hoc bene, quod inito vix primæ ætatis cursu pronas animi aures vox vehementior cœlestis Sirenis implevit, reprehenditque voluptarias in syrtes præcipitem, & ad religiosi tranquillos æquoris fluctus convertit. Igitur ut æquabilem, libratamque navigationem stabiliret, in Augustiniano Vallis Asprensis cœnobio insigni se sui demissione IOANNES saburravit. Hinc eam generis, & ingenii nobilitatem ab florida duodeviginti annorum ætate ad annum usque tertium & sexagesimum ad pannosas, tritasque vestes, ad abjectissima munia, ad emendicandam ostiatim pauperem annonam, ad præpositorum viliora

liora & molestiora imperata subeunda, & succollanda inclinavit. Contra verò, cum se mortalium postremissimum, nequissimumque existimaret, nullis unquam, vel antistitum invitamentis, vel amicorum hortamentis induci potuit, ut Sacerdotio initiaretur, quod amplissimos ad honores Chisiæ splendori Gentis decoros ac jubar addituros gradum faceret. Et quamquam surdo canerent, rerum tamen sacrarum commissam custodiam, curamque pius Ædilis admisit: atque hanc Spartam adeo diligenter administravit, ut sacros Missæ ritus rite fieri à Sacerdotibus curaret: & incuriosum in sacro faciundo suaviloquâ dexteritate impolitiæ notaret, moneretque. Ita dum Sacerdotio humiliter se subtrahit, Sacerdotibus salubriter obsequitur. At ecce obscœni spiritus fœda tempestas mentem invadit, & quatit. Quid hic ages? quam sacram ad anchoram confugies? ô consultissimum consilium! ô appositum, & parabile inventum! eam adhibes vexationem, quâ nulla efficacior, congruentior nulla: nempe corporis inter urticas volutationem. Sic urticam opposuit urticæ, atque lascivam pruriginem castâ uredine perdomuit! O Colonum admirabilem, cui ex aculeatis herbis castimonia egerminavit, & inter spinas lilia floruerunt. Neque verò nauticam in IOANNE siderum observationem desideramus, quâ præfulgente mortalem navigationem ad beatæ portum immortalitatis dirigeret. Sylva est propter Cœnobium S. Antonii Vallis-Asprense profunda, in quâ vile sibi IOANNES tugurium opere tumultuario construxerat: unde à terris, terrenisque curis solutior inter ea silentia loca cœlum, & cœlestia contemplaretur. Neque ea loci opacitas divinæ Lucis apricitati officiebat. Etenim in silvestri solitudine opacato corpore mens liberalior apricabatur: & illius in tugurii veluti speculâ salubrem Numinis Cynosuram observabat. Hinc illa etiam Senas revocati portuosam ad salutem obtinendam velis remisque incitata contentio, dum nulli unquam obloquitur: de re nullâ conqueritur, nec suas vices dolet: dum adeo gustu fuit hebeti, ac præmortuo, ut quanquam ciborum cupediis primùm innutritus, ple-

bejos postmodum, & illiberales cibos nunquam fastidiverit, & nausearit: imo insulsos, & insipidos pro lautis, opiparisque scitamentis habuerit: panis verò furfurei, & mucidi frustulum cum frigidæ modico saliares illi epulæ fuerint, sive nectar, & ambrosia. Dum etiam quicquid injunctum fuerat, quamvis arduum, asperumque, libens & alacris exequeretur: ac ne latum quidem unguem à moderatorum nutu, imperioque discederet. Dum votivæ paupertatis amantissimus, atque retinentissimus, nihil unquam à quopiam in summâ rerum indigentiâ sibi precariò petiit: quæ verò spontis alienæ benignitate, donoque deferrentur, ea quidem, quantum rei penuria ferebat, modicè vel etiam intra modum accipiebat. Cæterùm non habuit, cur opem imploraret humanam, cui divinum roganti patebat, & effundebatur ærarium. Id autem tum patuit maximè, cum corrogatâ de more per urbem stipe, ad cœnobium ea redierat hora, qua cœnobitæ frugalibus mensis accumbebant. Et ipse interim apud promum emendicatâ sarcinâ exoneratus, in templum (ut solebat) secedit, tacitas Deo preces allegaturus. Igitur illic in genua procumbens, & animo provolutus, Crucifixi Domini effigiem facundo silentio sic affatur: Vides mi Domine IESV, pro me nude, ac lacer, me pro te prope nudum, quando quam induo tunicam à summo ad imum tota trita est adeo, & lacera, ut millies sartam, resartamque nullus præterea sit modus interpolandi, gerendive. Si tibi placita est mea hæc tuæ proxima nuditas, justissimæ in me pœnæ loco, quippe qui divinis me sæpius ornamentis denudavi, placet & mihi: sin autem, oro, quæsoque, ut decentioris tunicæ beneficio, potes enim, protegere me velis. Hæc, eo precante, astitit ad cœnobii fores vir habitu, vultuque venerandus: quem janitor nunquam antea sibi visum, planéque ignotum, contra quàm prohibitus fuerat, ne cui, cum discumberetur, homini externo aditus pateret, bonâ, simplicique fide in cœnobium admisit. Ille autem sine morâ sacram in ædem rectà contendit, ibique convento IOANNI, Hos paucos, inquit, ejus, quod colis, exorasque, Numinis causâ

num-

nummos tuum in usum, ac necessitatem volens, ac lubens Frater accipe: ternosque aureos cum his dictis dedit, abiitque festinus. Hæsit primùm ad beneficum congressum IOANNES, tum à precibus exurgens è vestigio accurrit, ut hominem de se adeo bene merentem de nomine agnoscat, & grates agat. Sed is jam ab oculis evanuerat, quippe aliquis è cœlo delapsus. Ita liberale cœlum in se sperantem mendicum voto citiùs ope aureâ tunicavit. Nam IOANNES cœnobitarum antistiti cœlestem pecuniam protulit, eâdemque ab ipso indultâ tunicam coëmit. Iam verò ad officiosæ, operosæque prudentiæ gubernaculum sic sedebat: ut ægris corpore pariter, & animo medicatissimis dictis, factisque consuleret. Qui verò alienæ sanitatis consultissimus fuit, integritatem suam inculpatissimæ vitæ laude impeccabilis tueri videbatur. Quare ad novam Ticinensis cœnobii Coloniam ab Ordinis Generali moderatore prudentissimo mittitur: ut in cœnobitarum, externorumque hominum animis suarum documenta virtutum inseminet. Eo tempore illic accidit res digna memoratu. Iam pridem jacebant, & adhuc latebant in cœnobii templo bina Martyrum illustrium corpora, quorum certus conditorii locus ignorabatur. Nec tamen audebat cœlestis gazæ inveniendæ cupido ingenti opere, sumptuque stratum pavimentum vagâ, incertaque fossione corrumpere, ac demoliri. Quamobrem loci præses IOANNI mandat, ut corporales fortium exuvias animorum nullis vestigiis observabiles, & humanis artibus inexploratas, divino lumine precibus implorato exploret. Paret ille, diuque in templo perdius, ac pernox Dei numen exorat; ab assiduitate pertinax, à lachrymis patheticus, à jejunio facundus orator. Tandem cum aliquando pranderent socii, ejus interim in æde sacrâ de more supplicantis animo affulgens prædictorum sepulchrum Martyrum lux divina monstravit. Tunc autem ille arrepto ligone monstratum spatium ad unguem effodit, optatum reperit sarcophagum. Iam pransi cœnobitæ agmine canoro in templum Deo gratias acturi procedebant: & ecce vident per tot

annos obrutam Divorum Heroum sacrosanctam urnam pio fossori patuisse, nec votivo satiantur aspectu. Nimirum precibus cœlum penetrantibus, facilè tellus dehiscit. Sed jam tua te vocat urna, cœlestisque laudabilium laborum portus, IOANNES. Iamque veluti mortalitatis brevi enavigandæ præsagus, potestate à Generali moderatore facta, in Senensem patriam remigravit: ubi mox iniquâ, & exitiali valetudine decumbens, cum se Christianæ religionis supremâ præmunisset armaturâ, Missarum volumen afferri sibi poposcit. Tum sodalibus dimissis, cubitu surgens, & religiosam induens vestem, genibus humi, brachiis autem feretro, quod ibi paratum voluit impositis, clarâ, sublatâque voce recitare cœpit Dominicam ex Euangelio Lucæ Passionem, inter uberrimarum liquidam lachrymarum misericordiam: verbisque illis enuntiatis, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, suo cum Liberatore, suoque cum Amore IESV placidè, feliciterque expiravit: quod ex ejùs sodalibus quidam, fortè cubiculum ingressi, oculis compererunt. Exinde avidum adeò reliquit desiderium sui, ut à semestri sepulturâ exhumati corporis dulces reliquias, & chara ossa revisere voluerint: cum ecce corpus integrum, solidum, & succulentum intuentur: & mirabundâ perfusi voluptate, ac veneratione, interpretati sunt, nullo extincta corpora condiri vivaciùs, & immortaliùs unguento, quàm virtute. Sic temporaria Chisiæ Gentis virtus hæreditariâ felicitate ad æternitatem velificat. Vt sileam infinitos, paucorum habeo memoriam recolere. Tu mihi prior commemoraberis Aureli, qui Chisium genus virtute, quàm nomine illustriùs inaurasti. Videbam ego nostro frequentem in templo plures hebdomadæ dies candido signare lapillo, dum se divini candoris hostiâ saginans Divûm mensis accumberet. Vt mirari non haberem, si post epuli cœlestis singula convivia, diuturnas medullitus agenti grates voluptaria ebriis ex oculis satietas guttatim exundans, aquarios genis sulcos infinderet. Hinc Divinitatis coëpuloni, Deoque ipso prædiviti, & opum, & rerum omnium nausea caducarum.

Anno 1363.

Aurelii Chisii elogium habetur in his fastis 11 Maji.

ducarum. Verùm ut liberalissimo convivatori gratiis non solùm actis, sed etiam relatis pro viribus responderet: suis opibus magnificum sacrâ cum æde cœnobium excitavit, tutum sacris Virginibus Refugium. Illud autem hoc loco memorandum à viro gravissimo contestatum audivi, per aliquot antè obitum dies cœlestium Virginum concentum ab eodem Aurelio exauditum, quæ Virginitatis terrenum assertorem cœlo dignum acclamarent. Iam verò meo in præconio Aurelium fratrem frater ne desere, ut sanguine sic probitate conjunctissime Augustine. Te vidimus, te suspeximus & prudentiâ & misericordiâ in opis egentes summum publico Nosocomio Præfectum, & urbanarum opportunitatum oraculum consultissimum. Sed novissima FABII gloria, velut hæreditaria paternorum, avitorumque decorum præfulget epitome: Qui per sacros honores complures gradatim enisus, Vaticanum tandem ad solium delatus est, illustre, nec olim apud Macedonas, quam nunc Romæ fortunatius ALEXANDRI vocabulum adeptus. Ad hoc fastigium, quo nec sanctius inter homines ullum, neque sublimius est, tres illum animi charites sapientia, pietas, & prudentia provexere, quarum fulgore & commodis utinam diutissimè humano generi, ejus curæ concredito, frui liceat: non erit profectò quod ulterius de absoluto suæ felicitatis cumulo ab indulgentia cœlesti obtinendo magnopere laboret.

Augustinus Chisius Nosocomii Senensis Præfectus.

Ex vitâ editâ Antverpiæ an. 1641. & Romæ an. 1655. ex Herrera in Alphab. Augustinian. lit. I. Torello centur. 3. cap. 7.

B. S T E-

B. STEPHANVS AGAZZARIVS,

Congregationis Canonicorum Regularium Propagator.

XXVIII. *Octobris.*

Stephani pater Ioannes, filius Cioni, hinc ab aliquibus dictus B. Stephanus Cionius.

Morigia de origine Religiosorum Ordinum lib.2.cap. 40. asserit, Canonicos Regulares institutos fuisse Lucæ 24 Aprilis 1408.

Bononienses tabulæ sacræ Iacobum, præcipuum Stephani socium, Beati titulo celebrant.

TErgemina STEPHANVM nobilitas coronavit, generis, nominis, & virtutis. Vtrumque illud postremæ isti præluxit: hæc postmodum adeo claruit, ut Ilicetanæ Sodalitatis angustiis diffusiorem Gregorius XII, Pontifex Maximus Religioso Canonicorum Regularium Ordini, quem etiam S. Salvatoris vocant, ad pristinæ splendorem disciplinæ revocando divinitus immiserit. Ferunt Pontificem Lucæ per ea tempora commorantem, ubi eò vocati STEPHANI dotes intentiùs perspectas habuit; in has coram sacris Proceribus Viri laudes erupisse: *Invenimus Eliam Thesbitem, vultu serenum, moribus gravem, eloquio suavem, prudentiâ admirabilem, devotione humilem, zonâ castitatis præcinctum, habitu pœnitentiæ indutum, Deo, hominibusque amabilem, zelo justitiæ præditum, ac virtutibus omnibus ornatum.* Proinde Ilicetanam in solitudinem, à quâ pro ineluctabili Pontificis imperio abstractus fuerat, socio cum Iacobo regressus, amplissimo diplomate indulgente, ut ad eosdem Canonicos quilibet ex Augustinianis illis fratribus transirent, instructus, sex tantum reperit, qui se novi propositi comites eis ultrò adjungerent: Petrum videlicet, Dominicum Cioni Hugonis, Ioannem Salimbenium, Andream Albizeschium, ejusdemque germanum, Regolinum, & Franciscum, quorum nomina tanquam sanctitate præstantium Senenses Tabulæ æternùm servant. Non uno itaque cum Eliseo profectus Iliceto novus hic ELIAS post varia itinerum incommoda Fabrianense S. Salvatoris ad cœnobium tandem appulit, cujus

cujus Canonici veteris disciplinæ novum in STEPHANO exemplar æquioribus animis excepere. Verùm cum inclementius cœlum illud experirentur, adeo ut, laborantibus cæteris Franciscus interierit, ea mens cœlitùs Guidonem Antonium Feltrium Vrbini Comitem permovit, ut ad se perquam honestè accito STEPHANO Ecclesiam S. Ambrosii in monte Eugubinæ Civitati proximo concesserit. Ibi quo Religionis cultu sodales suos informaverit, Angelico testimonio probatum est, cum in summa rei familiaris inopia cœlitùs immisso commeatu plures per dies pasti sunt. Elia longè fortunatiores, quòd non à corvo panem, sed candidissimis, & faustissimis ab alitibus acciperent. Et verò suaviorem escam promerebat severitati veteris Prophetæ opposita lenitas illa prædulcior, quâ suos in officio continebat. Ista certè vel longè distantium fratrum animos corripiens, brevi præstitit, ut Franciscus Ghislerius eorumdem Prior tam in S. Salvatoris intra Bononiensem urbem, quàm in S. MARIÆ de Reno ipsam propè Bononiam STEPHANVM advocans, se suosque illi submiserit. Quin aliis postmodum cœnobiis aut denuò institutis, aut sanctiori formæ restitutis, uno omnium voto annuis suffragiis comprobato Prior Generalis renunciatus est AGAZZARIVS ad exitum usque vitæ, quam ad quindecim post honorem acceptum extendit annos. Merebatur enimverò perenniter evehi circumspecta illa animi moderatio, quâ ne suum quidem nomen perennare voluit in quibusdam Ordinis constitutionibus, ipso Præside editis. Vt autem, qualem capitis integritas sanctimoniæ vim in Religiosos artus diffunderet, ex uno intelligas, amœnissimum obedientiæ prodigium accipe. S. Donati Asceterium ad Florentiam incolens Tyro in sarmentum planè aridum, & exsuccum fortè pedem impingens, ab obvio Tyrocinii Præside jussus est, tale vitis cadaver defossæ telluri committere, & eò usque colere, dum reviviscеret. Obsequenti illico Iuveni, sterilemque taleam inhumanti obsecuta est & natura, egregiæ culturæ respondens, dum surculum animavit in vitem, quæ brevi flagellis luxu-

Religiosæ obedientiæ fructus admirabilis.

rians, & ſublimiùs geniculato curſu ſcandens, longè lateque uvis onuſta, ad proximum uſque ſæculum viruit. Et vireſceret adhuc, niſi bellorum tempeſtas ipſis cœnobii ruinis vitem illam, aut veriùs obedientiæ palmam involviſſet. Ea certè, ſi alia ulla, vitis ligno quolibet æternior eſſe meruit: nec facilitate reſpondendi curæ mortalium, ut cæteræ, ſed ipſa naturam ſubigente ſanctioris culturæ difficultate, reliquis ſtirpibus jure præponi. Admirabili hoc, aliiſque quampluribus teſtimoniis datis refloreſcentis univerſo in cœtu religionis, quaſi expleto opere, quod per ſummum in terris ſuæ voluntatis Interpretem Deus illi commiſerat, obiit Bononiæ quarto Kal. Novembris, quem ſupremum fore ſibi diem certò prædixerat. Atque ut Divino Reparatori, cujus nomen non cordi minus, quàm Ordini inditum voluit, perſimilem vixiſſe liqueret ex morte, ſupremum ſpiritum poſuit die Veneris, quâ fermè horâ Chriſtus expiravit, brachiis ipſe quoque in Crucis formam diductis. Rectè: nec enim dignior, aut STEPHANO triumphum ineunte corona, aut Chriſtiano ELIA in cœlum evehendo currus, quàm Crux Divina.

Nec eſt ligno ulli æternior natura, Plin. lib. 14. c. 1. *Vitem cæteris ſtipibus jure præponimus, non tantum fructus dulcedine, ſed etiam facilitate, per quam curæ mortalium reſpondet.* Columel. de re ruſt. lib. 3. cap. 1.

Ex Morigia de Orig. Religioſ. Ord. lib. 2. cap. 40. Conſtantino Ghinio in notabilibus SS. Canonicorum 28. Octobris, Victorellio in additionibus ad Ciacconium in vita Gregorii XII.

A Bononienſibus ſacrum B. Stephani cadaver eximio cultu ad hæc uſque tempora coboneſtatur in templo S. Salvatoris. Anno 1433.

PAV-

PAVLVS,

Ordinis Servorum B. V.

Sigismundi Malatestæ fœdi, & impuri hominis importuna crudelitas, atque impietas memorabile hujus viri erga Virginem Dominam obsequium effecit, & ne qui memoraret deesset, eruditio, & facundia, & addictus in Patriam Pii II, sanctissimi Pontificis animus in causa fuit. Quo tempore infensus Romæ, atque adeo cœlo Sigismundus Ariminensem ditionem acerbâ premebat tyrannide, PAVLVS sapientissimæ vir integritatis, apud agrum pennarum à S. Marino dictum in sui ordinis cœnobio degebat. Ibi ne publicis tumultibus, ac ruinis involveretur, ad MARIAM, tutissimum nempe ad asylum confugit, atque ut Patronæ suæ animum magis magisque demereretur, illius imaginem in sacello affabrè structo conspicuam statuit. Ad illam assiduis precibus excubare, & in unâ Virgine compendiariam Cœli, Terræque pulchritudinem demirari: longè feliciùs ducens, exiguâ licet in Aulâ benignò Reginæ superum obtutu frui, quàm superbis assidere liminibus, & grave mortalium Principum supercilium pati. Et verò ut sui Clientis obsequiis cæteros ad similem cultum provocantis Virgo profusius responderet, multa in ejus gratiam mira beneficia accurrenti usquequaque populo in dies largiebatur. Quod autem qui terret plus ipse timet, Tyranno in omnem conspirationis umbram anxiè sollicito suspectus esse cœpit concursus ille, utpote Rempublicam per vim obtinenti periculosus ad res novas moliendas obtentu religionis inprimis idoneus. Quare imperiosâ denunciatione pœnas comminatur gravissimas religioso Custodi, nisi statim publico cultui subtractam Iconem occuleret. At ille intrepidus, minarumque terrores despiciens, Multò, inquit, libentiùs diem mihi eripi patiar, quàm Virgineo sole sublato mœstissimas tenebras animis aliorum inducam.

....
Octobris.
Nefaria Sigismundi scelera recensentur commentar. Pii Secundi lib. 2. 5. 7. & 10.

Senec. epist. 4.

Claudian. in quartum Consulat. Honorii.

Non fecerim unquam, non fecerim, vel si pro clementissima Domina capiendos sciam mihi esse inimicos Tyrannos omnes. Hæc PAVLVS: quæ ubi Sigismundus rescivit excandescens in furias, misso illico viatore, in vincula contumacem abripi jubet. Nec mora: occultâ nocte comprehenditur acer cultûs virginei propugnator, & ne forte turbas clamando exciret, ore involucris obstructo, celerrimè Ariminum deducitur. Non commisit hîc Virgo Maxima, ut post acceptam tam palmarem contumeliam audire posset, id quod Augustinus Trojano Palladio jure objecit, *quomodo colebatur, ut Patriam custodiret, & cives, dum suos non valuit custodire custodes? Neque enim homines à simulacro, sed simulacrum ab hominibus servabatur.* Concitatis itaque totâ nocte veredis, dum impii satellites à sacrâ æde remotissimè se abesse credunt, Aurorâ se prodente, ne gradum quidem ab areâ templi abscessisse, viamque confecisse ingentem simul, ac nullam, stupidi advertunt. Vsque adeò à benignissimæ Matris brachiis evadere possumus, avelli non possumus. Et jam immanium hominum, cœlum pro innocentiâ pugnare spectantium, pectori subrepens aliquis pietatis sensus iram propellebat: cum objecto vesanis illorum consiliis Malatestæ furore, rursus ira pietatem fugat, & cœli favori præfertur Principis odium. Quamobrem laqueo ad collum injecto virum suspendere bipedum nequissimi non sunt veriti ea ipsâ ex Cruce, quam ille sacræ ædis indicem paulò ante in trivii prospectu erexerat. O cæca & inconsulta crudelitas, quasi divina vis, quæ dilectum sibi caput è conspectu abire passa non est, passura mox esset, ut suis in oculis interiret. Vix recessere sicarii, & ecce PAVLI laqueum, quo suspensus fuerat, cœlitùs sectum ad MARIÆ vindicis pedes suspendit incolumis, eò digniùs percelebri Manlii torque trophæum, quòd de longè superbissimo hoste, de sacrâ satellitum perfidiâ, ac de morte ipsâ triumphatâ referebatur. Fama tanti prodigii admiratione defixa ad reliquam vitam tam dilecti Reginæ cœlitum viri, animum nequivit advertere. Equidem non dubitaverim, eum qui

Lib. 1 de Civitate Dei cap. 2.

Anno 1462.

per

per violentiam in Cruce mori non potuit, Divæ suæ maximè obstrictum, ultro in Cruce religiosissimæ asperitatis deinde vixisse.

Ex libro 5. Commentarior. Pii Secundi, & ex oratione in Sigismundum Malatestam Andreæ Bencii Senensis pro Fisco advocati habita in Consistorio publico ad Pium Secundum, & relata in epistola Apostolica ejusdem Pii, qua incipit: Discipula veritatis, & magistra Fidelium Apostolica Sedes, &c.

NOVEMBER.

B. AMBROSIVS,

à Massâ Maritimâ, Ordinis Minorum.

SI olim sese extulit Massa, quòd Gallum suum Mundo Cæsarem dederit, longè nunc feliciùs, cœli Regno AMBROSIVM peperisse, gloriatur. Quid enim? Ille è summo rerum humanarum apice mox lapsu graviore deturbatus, abscissâ privati instar cervice, nimis tragico exitu hilarem Fortunæ Scenam funestavit. Hic verò sanctioris modestiæ ductu infra cæteros sese demittens, supra dubiam sortis aleam æternum sibi comparavit Imperium. Et verò AMBROSII potentiam omnibus Cæsarum viribus celsiorem adoravit Natura, dum variorum usu membrorum penitùs destitutos, aut insanabilibus vomicis infectos quàmplures, surdos quoque, cæcosque non paucos, ad illius nutum expeditæ corporis integritati redditos est demirata. Quin impenetrabilem ipsam mortis ditionem pervadens AMBROSII virtus, diræ illi tenebrarum captivitati septem subductos revocavit ad liberæ lucis usuram. Istiusmodi miracula indubitatis testibus firmata Vrbevetanus Episcopus Raynerius, & N. Augustinianorum Moderator in S. Ioannis de Plateâ, publicis tabulis commisere ex præscripto Gregorii IX Pontificis Maximi: qui AMBROSIO è Romano ritu facilè

X. *Novembris.*

Ammian. Marcell. lib. 14.

Literæ Apostolicæ datæ sunt Romæ ex Laterano An. Dom. 1240. Pontificatus 13.

decrevisset honores cœlitum, nisi proximo à datis hisce literis anno è mortalibus decessisset. Cæterùm tam splendida prodigia coronare visa sunt eximiam illam vitæ integritatem, quam inter Mundi discrimina ad virilem usque ætatem servavit incolumem, ac deindè tutiùs, præclariusque intra Religiosa claustra perfecit. Nam vivente adhuc S. Francisco ascriptus Minorum Ordini in ipsâ sui primulâ ætate heroicis gestis terrarum Orbem implenti, asperam paupertatem Divo Parenti suo tantis in amoribus habitam adeò coluit, ut rigescente brumâ lacero in centone penè nudus incederet: plerosque dies pane tantum, & frigidâ pastus cœlestium esuriem accendebat. Animi tamen demissione, & charitate non in suos tantùm, sed & in exteros AMBROSIUS se planè admirabilem præstitit: in ægros præsertim quibus omne officii genus à se deberi existimavit, nec ullum unquam deesse passus est. Nemo illi adeò vilis, adeoque contemnendus est visus, quem revereri, & colere non deberet, & cujus animum si vel levissimè offendisset, placandum sibi, infimis precibus non putaret, id quod ille in publico genibus advolutus, injectoque ad collum fune factitare gaudebat. Sed aliis etiam de noxis speculator sui, censorque acerrimus subinde conscientiam excutiebat, & dictâ apud arcanum tribunal causâ, eveniebat interdum ut se ipsum judex damnaret ad lachrymas. Verùm qui Christianum Heraclitum vivens retulit, nihil jam à Divino judicio sibi timens ad suprema redactus, sanctior Democritus mortem risit; cujus jacula prævidendo retundens, dum adhuc viribus præstaret, se Vrbe veteri decessurum esse, socio prodidit. Et ibi re ipsâ excessit ad superos; eò gratiori gaudio gestiens, quòd paucis ante obitum horis Guilielmi intimâ sibi juncti necessitudine animam est intuitus ab hac mortalitate discretam melioribus accenseri. Præi, tunc exclamavit, Amice felix: mox te sub hujus diei vesperas sequar. At si ita est, hæc verè dies emortuo Castori per cœli iter avide insistentem Pollucem, & utrumque syderibus insertum suspexit.

Ex Marco Vlyssippon. lib. 6. Chronic. Min. cap. 34. & 35. ex lib. 1. Conformitatum S. Franc. B. CA-

B. CATHARINA LENTIA,

Virgo Tertii Ordinis S. Dominici.

XXVII. Novembris.

PRænuntium CATHARINÆ LENTIÆ nomen alteram promisit Catharinam Benincasiam: imitatrix autem pietas promissum, receptumque implevit. Neque in LENTIA lenta fuit, sed à teneris annis miranda cœpit exhibere robustæ rudimenta virtutis, & in ipsis piam indolem crepundiis patefecit. Nam donata pupuli IESV simulacro, quæsitissimis ornamentis lemniscato, sic delectata est, ut illud avidis brachiolis ridibunda identidem complecteretur: etsi quando eo careret, humidis ocellis lachrymabunda reposceret. Sic in imagine puerili divinis blanditiis fruebatur: rejectisque puellaribus oscillis, cum cœlite sigillari salubriter ludebat. Septennis adultam docilitatem commendat profectus in disciplinâ pietatis eximius. Ab illa cœpit ætatula domi solitudinem invenire, ut libentiùs, ac liberiùs ore, animoque colloqui uno cum Deo posset. Didicit quoque mentem sibi abstinentiâ saginare nocturnis vigiliis ad insomnia divina, & visa præclara soporare, ultroneis corpusculi afflictationibus, & flagellorum patientiâ ad virtutem roborare, Christianâque demissione in cœlestem sublimitatem attollere. Sed nihil hac in puellâ conspectiùs, quam virginalis candoris ab omni pudendo nævo custodia. Maternis eam in insidiis, & injuriis opportunam habuit, ut cum maximè. Mater enim consilio cum filiis inito, ut mortalibus CATHARINAM nuptiis initiaret, mundi muliebris immundam, & virile Virginis propositum effœminaturam supellectilem adornabat. Sed illa neque blanditiis emollita, neque vexationibus territa, semperque invicta, inter sacras Divi Dominici Virgines in cœnobio, cui cœleste nomen est Paradisi, divino tandem Sponso denupsit, attonsæque flaventis comæ aureas exuvias suspendit, & sacravit ad Crucis arborem

Plin. lib. 16. nat. hist. cap. 44.

rem salutarem: quæ recisis virginalibus capillis perenniùs, & sanctiùs floret, quàm trecentorum, & septuaginta Lotos olim annorum superstitioso Vestalium cultu capillata. Tum verò incitatior ad Crucifixi Sponsi complexum per arduam Crucis viam impetus, tum geminata vitæ austeritas ut non tyrunculam aliquam, sed virtute provectam existimares. Iam verò ad Assisinatem Franciscum venerationis ergo peregrinatura, Perusiam ad Reatinam Columbam, insignitâ morum integritate monialem, divertit. Et illa quidem nunquam anteà de facie notam hospitem peramanter complectitur, ejusque indolem columbatim exosculatur, quippe nacta similem Columbam. Inde CATHARINA digreditur ad Politianæ Agnetis animum, jam cœli civem, in solido post funus corpore complectendum, colendumque. At verò vicissim Politiana civitas CATHARINÆ nomine commota, in ejusdemque adventum cum puerorum vocali plausu, cum æris campani multisono strepitu effusa, inter patriæ virtutis nitores prænitentem lucem demiratur externæ. Reducem ad suos piâ è peregrinatione Virginem suavissimâ sponsus cœlestis requiete detinuit, & oblectavit, dum sæpius avocato à sensibus animo divinum ebria nectar prægustaret, prævideretque in illo vigili somno res dissitas, præsentiretque non semel abditas, & futuras. Quin etiam quà morborum, quà Inferorum vexationes jucundissimis habuit in deliciis, optimo malorum condimento, patientiâ. Quamvis autem multa, & gravia incommoda perfortiter toleraverit: attamen etiam frequentibus, apertisque periculis divinitus subtracta est; ut nescias, utrum ferendo fuerit, an evadendo mirabilior. Eadem, quæ suis, alienis quoque necessitatibus divinam imploravit opem virgo, & rerum potens admirandarum sæpe de cœlo adhuc terrarum incola opitulabatur. Vnam ego, alteramve rem, auditu rarissimam, breviter enarrabo. Animulam agebat puer Senensis fabri lignarii filius amussitatâ indole, scitoque ore intus, & in cute formosus, adeoque parentibus carissimus. Rogant igitur CATHARINAM, ut ab imminenti, & immaturo

turo adolescentem interitu reprehendat. Sed illa disertè ait, expedire ut moribus non minùs, quàm lineamentis terrenus Angelus ad consimiles cœlites abiret. Iam extinctum parens inprimis externata insolabiliter lamentabatur, adjiciebatque lamentis vesano ex dolore impia, & execranda verba. Mittitur iterum Virgo, ut, quam possit, opem ferat: quæ illic à precibus ad Deum peroratis imperiosior, jubet puerum ter Cruce consignatum reviviscere, & ad præpotens IESV nomen, ac Deiparæ, Divæque Catharinæ Senensis assurgere. Audivit ille vocis imperium virginalis, &, licet ferreo somno mortis oppressus, illico evigilavit ad vitam: redditusque parentibus à Virgine redivivus, renatusque ostendit, mirabilioris esse vitæ fœcundam parentem Virginitatem. Neque verò extinctos duntaxat pueros, sed etiam adultos eadem Virgo ad nostram mortalitatem revocatos, quodammodo regeneravit. Testis est domesticus Matthias, Petræ sororis vir, qui tabescentem lentâ morte vitam insanabili è fistulâ tandem emisit. Miserata viduæ sororis CATHARINA luctuosam orbitatem, Eja, inquit, Matthia operoso ab IESV nomine vitam, & salutem recipe, teque nobis restitue. O miram CATHARINÆ vim, cujus vox mortuo corpori vitalem spiritum inhalavit. Quia eadem vox habitu charitatis animos ipsos mortiferâ labe percussos ad cœlitem vitam sæpiùs animavit. Iam verò præmonitam & cupientissimam CATHARINAM, duplici vita mortales animantem, exanimare properatâ morte arbitro Deo visum, ut ejus animus terrenis à vinculis absolutus in cœli debitam libertatem evolaret. Paulò ante illius obitum res accidit planè miranda, ideoque non tacenda. Nam dum sacrum faceret Simeon Angeli, qui erat eidem à confessionibus, animadvertit, divinum calicis sanguinem potaturus, cœlestis Hostiæ particulam in eo desiderari. Rei novitate attonitus in arâ circumspectat, frustraque perquirit, & in eodem temporis articulo circumfusam insolito lumine CATHARINAM suspirasse intelligit; magno argumento, non egere vectore volucrem suos ad amantes Deum: seque amoris

impatientiâ morienti fruendum præfestinasse. Vt mirari non habeamus, quod placidè, ac sine sensu mortis in complexu vitæ obierit. Obitus autem illi natalis, vitalisque contigit quinto Kal. Decembris anno millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, cum ageret annum ipsa duodetrigesimum. Nempe brevis ætatis Virgo in curriculo virtutis sic properavit, ut altera Senensis Catharina prædicaretur. Viderunt illam plures in cœlum abeuntem, sed præcipuè vidit lynceis in cœlites oculis Reatina persamiliaris Columbæ. Sacrum cadaver, quamvis mutum, Senarum incolas, accolasque latè concivit ad venerationem sui, pervenitque usque ad animos virtutis extinctæ vocale silentium. Hæc denique virtus mortalium animis implorata immortalis medicina est. Funus magno populi concursu quinto post die celebratum cadaveri, quod meram, & suavissimam sanctitatem redolebat; Idem in Divi Dominici templo, sub arâ ipsâ magnæ Catharinæ, propter ejusdem augustum caput, demum conditum est: cum par sit, ut par nobile Virginum Senensium, quæ simili studio ad pietatem vivæ vigilaverint, eodem in sepulchro mortuæ quiescant: eandemque aram dedicent cognomines hostiæ.

Ex vitâ conscriptâ à Simone de Angelis Ord. Prædic. qui per plures annos præfuit à sacris confessionibus ipsi B. CATHARINÆ, *& ex elogio quod habetur in vetusto codice cœnobii Senens. Dominican. in quem referebantur nomina tumulatorum in templo S. Dominici.*

HIERO-

HIERONYMVS,

Ab Asciano, Ordinis Iesuatorum Generalis.

NOn Iesuaticum modò, sed ipsum Naturæ Ordinem pro arbitrio moderari HIERONYMVS visus est, tot assiduè, tantisque miraculis claruit. E plurimis pauca hæc accipe. Dum in arcanis cum Divinitate congressibus versaretur, mortalem vultum non semel in cœlestem convertit, ex quo compendiarium solem perstrictis intuentium oculis exhibebat. Oleum quandoque adauxit uberrimè, solummodo benè vasi dicendo: eo Eliâ, Eliseoque feliciùs, quòd illi parum in lecytho reliquum, iste penitùs nullum in multum convertit. Cum de viâ langueret, hospiti ad reficiendas illius vires vini defectum excusanti, dolium repente miro planè mero redundans ostendit. Tartareum hostem sub canis larvâ jam in morsus ruentem, Angelicâ ipse formositate radiantem vultum indutus, latè fugavit, & appositè luce mulctavit Principem tenebrarum. Decumbens, & stomachi fastidio laborans vix aviculas quasdam appetere se dixit, cum illæ socii in hortum digressi manibus ultrò se capiendas obtulere: adeo sanctimoniæ gaudent omnia sese immolare. Tunc verò maximè potentiam hanc humanâ majorem exerebat, cùm forte suorum incolumitas in discrimen adducebatur. Fortè rigidiori sub tempestate per montium juga aliquos è Fratribus immiserat, id illis in mentem revocans, ut, si quid periculi occurreret, præsenti apud Deum animo essent. Cum ecce medio ex itinere semitam sibi altis nivibus subductam illi intuentes, suspenso gradu, incertique consiliorum hæsêre; id præcipuè verentes, ne lubricante saxorum margine in profunda deciderent. Et jam res lamentaria videbatur: cum HIERONYMI amor, qui vel longè absens filiorum lateri semper aderat, imminenti

Novembris.

3 Reg. 17.

4 Reg. 4.

discrimini eosdem extemplo eripuit. Nam quà tutior latebat via, humani gressus non tam nivibus imprimi, quàm ex iisdem emergere vestigia conspexere: juxta quæ dum pergerent, eadem illico evanescentia, & omnia post se udo vellere æquata mirabantur. Atque ita in tutum evaserunt, oculos retro lætissimos sæpe flectentes in niveos montes, paterni erga se ipsos amoris candida monumenta. Sed illud pervigilem HIERONYMI in filios curam, ac simul mentem conscio futurorum spiritu afflatam planè luculenter ostendit. Iuvenis in speciem nobilis, at pulchritudine vultus vitiatum animum mentitus, jam ad cœnobii fores accedebat. Cum HIERONYMVS è Fratribus unum advocans, jubet, ut adventanti juveni, & infimis quantumcunque precibus flagitanti, ipsorum Ordini ascribi, suo nomine renunciet, statutum sibi omnino esse ipsum neutiquam admittere: proinde abscederet. Paret ille, pulsantique januam obviam factus præscripta refert, & quanquam pietatem implorantis, ac superûm, hominumque fidem obtestantis, lachrymas formæ quoque dignitas magnopere commendabat, obfirmato tamen pectore spem illi omnem præcidit. His dictis, gestisque intentiùs aures, oculosque præbuerat nonnemo ex illis, qui religiosa intra claustra mundi sapientiam spirant, & contra vetus Dei de rectè eligendo præscriptum vultum respiciunt, remque tacitus secum reputans, carpebat animo Moderatorem suum, qui asseclam quæri dignum, vel quærentem rejiceret. At HIERONYMVS Divinâ eadem vi, quâ in juvene mentis occulta pervaserat, ipso silentio obstrepentem, & obtrectantem audiens, accitum ad se impudentis querimoniæ redarguens, non multum, inquit, temporis effluet, cum rejiciendi juvenis causas suppetere planè justissimas ipse idem fateri cogêris. Et verò eventus vatem probavit, insigne relinquens importunis religiosorum Præsidum censoribus documentum. Nec enim multo post vulgatum est, juvenem illum in Ordinem, qui ab Apostolis dicebatur, relatum, palmari cum furto clam

Stat. lib. 6. Theb.

Ne respicias vultum ejus 1 Reg. cap. 16.

Hunc Ordinem Andreas Nati de Vitorino Comitatus Pistoriensis instituit Senis, ut patet ex monumentis Xenodochii Majoris an. 1369.

clam aufugisse. Feliciùs alteri adolescenti res accidit, cujus cordis latebras arcano crimine horrentes HIERONYMVS pervidit. Dum enim ille obsidente dæmone infestus propè Iesuatorum Pistoriense cœnobium ductus, furiis ibi quàm vehementissimis ageretur, accurrens HIERONYMVS proscripsit perditissimum inquilinum. Mox restituto sibi adolescenti procul ab arbitris detexit occultiores quasdam noxas, quæ ex Orco dirum hospitem, tortoremque in ipsum evocaverant. Quæ ille ubi excepit attonitus, cœlesti gratiâ permovente, benignissimi Patris genibus sese advolvens, in ejus Ordinem admitti exoravit, & auspicato nomine Iustus audivit. Tantam porrò Divini luminis participationem HIERONYMVS sibi promeruit studio cœlestia commentandi usque adeo assiduo, & ab hac totâ mortalitate abalienato, ut Lucâ discedens, Pistorium cum pervenisset, refectis ibi jam cibo viribus socio indixerit, sese quamprimùm ad iter Pistorium compararet. Scilicet per immensa cœli spatia peregrinanti nullum meritò videri poterat in hoc terræ puncto iter exactum. Tandem ubi ad suorum disciplinam tuendam, atque amplificandam Venetias adivit, inde diu speratum cœlum tenuit, non jam peregrinus, sed Civis. *Anno* 1398.

Ex Iosepho Bonafede in vitâ B. Ioannis Columbini lib. 4. par. 1. cap. 6.

ANGELA PTOLEMÆA,

Tertii Ordinis S. Dominici.

.... Novembris.

PTolemæorum genus in civitate noſtra, ut olim Quirites de ſuis Scipionibus gloriati ſunt, fortium virorum, pietateque & ſapientiâ præſtantium longè fœcundiſſimum domeſtico ANGELÆ & exemplo, & adjumento ad Chriſtianæ perfectionis excellentiam fuit. Hæc Ioannem Baptiſtam Prædicatorum familiæ cum primis clariſſimum germanum à naturâ ſortita, magiſtrum quoque morum, laborumque & certaminum hujus vitæ ſocium cœlitus ſibi datum exiſtimavit, ipſa quoque Dominicanum inſtitutum inter Sorores Tertii, ut appellant, Ordinis amplexa; inque eo plures per annos caſtè, integréque verſata. Donec periculoſum incidit in morbum, cujus ne abſumeretur violentia, paratum jam ſibi fraternæ apud cœlites gratiæ præſidium advocavit: cum enim inter ægrotandum animo à ſenſibus abrepto videretur ſibi in locum delata, purgandis noxis piorum manium ſepoſitum, omnem illum acerbiſſimorum cruciatuum apparatum ſibi, ſuæque animæ poſt imminentem tum maximè obitum deſtinatum accepit, cujus denunciationis ſeveritate perculſa, horroreque quanto par erat, ac trepidatione correpta, ubi primum ad ſeſe rediit precibus, votis, lachrymis Deum, omneſque cœlites fatigare aggreſſa eſt, illum à ſe flammarum horrorem, illam ſuppliciorum acerbitatem averterent, conceſſâque longiore inter homines morâ, incommodis, doloribuſque qui mortalem ſequi maximi poſſunt, redimendæ ejus miſeriæ ſpatium darent. Addit precibus pondus, patronum, deprecatoremque Ioannem Baptiſtam fratrem, qui tali ſororis, alumnæque chariſſimæ tempori deeſſe non ſuſtinens, omni adhibito ferventiſſimæ precationis inſtrumento, à cœleſti tandem expugnat clementia, ut ſupplex illa miſerabilis tandem quod volebat, acciperet, & ne fortè dubius

dubius beneficii Author esset valetudo, qua perferendis oblatis cruciatibus opus erat, non ægræ, sed mortuæ est restituta, nam postquam prævalente vi morbi extincta est, in ipsâ funeris, quo jam efferebatur, pompâ ab obvio Christi servo surgere jussa, vitamque & sanitatem, & vires recepit. Reducem spiritum ANGELA in hoc sibi datum putavit, ut eo tortore ad exigenda à rebelli corpore supplicia uteretur, nec ullum sæviendi in sese finem faciebat, dum medios modò se in ignes projiciens, ad vim intolerandi caloris ardesceret; modò in rigentia altâ glacie flumina desiliens, ad membrorum usque stuporem obrigesceret; cum interim nec jejuniis, nec vigiliis, nec verberibus abstineret, & si quid aliud atrocius ingeniosa in sui cruciatum Christiana constantia excogitavit, ut non rarò toto corpore informem in tumorem excresceret, infestisque inter se humoribus languidum, infirmumque corpusculum enecaretur. Et quia solamen omne, quo tantæ miseriæ levari possent penitus aspernabatur, vitandum sibi omnis humani sermonis commercium duxit, ultrò ad perferenda desertæ solitudinis incommoda, longinquorum montium asperitate, vastarumque specuum obscuritate petita. Atque iis, aliisque id genus voluntariis afflictationibus strenuè, fortiterque perlatis, postquam satis pœnarum pro inexpiatis noxarum suarum reliquiis Divinæ justitiæ depensum credidit, summa cum animi securitate ad alterum feliciorem obitum se comparavit, qui jam probatæ, nec ullis interpellantibus ignibus obnoxiæ sanctissimæ animæ expeditus demum cœlestem ad patriam gradus fuit. Ite nunc mortales, & facile vobis æternæ salutis negocium fingite, propositaque laboriosis, & exercitis, & industriis præmia, inter lustra; & ganeas securi, cessantesque per luxum, atque inertiam, expectate.

Ex Michaële Pio in vitis Dominicanorum Illustrium lib. 1. vit. 247. & ex Gregorio Lombardellio in vita B. Ioannis Baptistæ Ptolomæi cap. 25.

Lector

L*Ector adverte, in Elogiis Virorum Illustrium, quos hoc libro complexi sumus, nonnulla nos obiter attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere; perstringimus nonnunquam aliqua ab iis gesta, quæ cum vires humanas superent, miracula videri possunt: præsagia futurorum, arcanorum manifestationes, revelationes, illustrationes, & si qua sunt alia hujusmodi: beneficia item in miseros mortales eorum intercessione divinitùs collata: demum nonnullis sanctimoniæ, vel Martyrii videmur appellationem tribuere. Verum hæc omnia ita nostris Lectoribus proponimus, ut nolimus ab illis accipi tanquam ab Apostolicâ Sede examinata, & approbata, sed tanquam quæ à sola suorum autorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter, quam humanam historiam. Proinde Apostolicum S. Congregationis S. R. & Vniversalis Inquisitionis Decretum anno* 1525. *editum, & anno* 1634. *confirmatum integrè, atque inviolatè juxta declarationem ejusdem Decreti à S. D. N. Vrbano Papa* VIII, *anno* 1631. *factam servari à nobis omnes intelligant; nec velle nos, vel cultum vel venerationem aliquam per has nostras narrationes ulli arrogare, vel famam, aut opinionem sanctitatis, aut Martyrii inducere, seu augere, nec quicquam ejus existimationi adjungere, ullumque gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem; sed omnia in eo statu à nobis relinqui, quem seclusa hac nostra lucubratione obtinerent; non obstante quocumque longissimi temporis cursu. Hoc tam sanctè profitemur, quàm decet eos, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimi haberi filii cupiunt, & ab eâ in omni suâ scriptione, & actione dirigi.*

F I N I S.

ERRATA SIC CORRIGE.

In Epiſtola ad Lectorem.

Pag.	1.	verſ. 15.	*illam*	illum
	2.	27.	*illuſores*	illuſtres

In Textu.

Pag.	3.	verſ. 7.	*Arabiam*	Arbiam
	19.	6.	*eidem*	eundem
	42.	31.	*agnum*	agrum
	48.	22.	*medium*	dimidium
	64.	vlt.	*Frederico*	Friderico
	87.	4.	*conietiſſet nec talibus*	coniecisset. Nec talibus
	89.	9.	*patrata illa*	patrata : illa
	91.	1.	*ad*	in
		15.	*agnomen*	cognomen
	93.	30.	*incommodum*	incommodam
		31.	*futurum*	futuram
	105.	29	*qua vita ratione*	ea vitæ ratione
	112.	vlt	*illi*	illis
	113.	2.	*pateretur*	paterentur
	117.	28.	*illuſtrauit*	luſtrauit
	144.	27.	*fas erat*	facile erat
	156.	17.	*gnari*	ignari
	166.	14.	*plurimum*	plurimam
	183.	38.	*nimium*	nimirum
	198.	1.	*nedum*	nudum
	221.	37.	*Luerit*	Fuerit
	230.	29.	*& facilis*	vt facilis
		31.	*Eorum eſt*	Forum eſt
	241.	15.	*cum*	cum
		30.	*venerabundam*	venerabunda